

Stochflecke

G. f. 170

Thes. P. VIII. 367 641.

3
EXPLICATIO

ἑλεγκτικῆ

Evangelii Domin. III.

Adventus.

Quam

P R E S I D E

Dn.

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

Suo

*Patrono, Preceptore & Fautore omni honoris
& observantia genere colendo*

Ad disputandum proponit

BERNHARDUS DERSCHOW

Regiom. Borussus.

Ad diem XIV. Decemb. horis à sexta matutinis.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

*Admodum Reverendis, Clarissimis & Præ-
cellentissimis VIRIS*

Dn. FRIDERICO BALDUINO,
SS. THEOLOGIAE DOCTORI, ET IN INCLYTA
ELECT. SAXON. AD ALBIM ACADEMIA PRO-
fessori publico, Ecclesiae Witebergensis Pastori
vicinarumq; Superattendenti
fidelissimo.

Dn. BALTHASARI MEISNERO,
SS. THEOLOGIAE DOCTORI ITIDEM
EXIMIO, EIUSDEMQUE PROFESSORI
dignissimo & longè cele-
berrimo.

**Dominis Mœcenatibus, Præceptoribus & Fau-
toribus suis æternùm colendis &
venerandis.**

*Theologicam hanc ἀσκησιν, in debite
gratitudinis & perpetuae observan-
tie symbolum, ac felicissimum novi
anni auspiciis*

Offert & consecrat

Bernhardus Derschovv
Autor-Resp.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

THESIS I.



Vod in fine hodierni Evangelii de Johanne Baptista enunciatur τῷ λόγῳ ex Prophe- ta Malach. 3. v. 1. Ecce ego mitto angelum meum an- te faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te; id excellens ille nuncius Messiaæ præcursor inter alia præstitit τῷ ἔργῳ etiam in hujus Evangelii principio, duos ad Christum ablegans discipulos, sicq; hoc ipso viam ei parans ad salutarem γινωσκίαν in ipsorum corda & men- tes introducendam, & exinde conceptam de Johanne magistro suo ψευδοδείαν penitus evellendam.

II. Pro luculentiori autem totius hujus historiae tractatione, quam & *Matthæus c. 11.* & *Lucas c. 7.* describunt, tres ejus princi- pales possunt constitui partes: Prima complectitur legationem Iohan- nis ad Christum, Secunda Christi responsionem, Tertia & ultima ejusdem de Johanne testificationem.

Partitio Evangelii.

Pars I. De Legatione

JOHANNIS.

III. Circa primum hujus Evangelii membrum notandæ ve- niunt aliquot circumstantiæ: 1. Vnde. 2. Quos. 3. Quò. 4. Cui Baptista ablegarit. Prima circumstantia describitur à *Matthæo d. c. gatione hanc* v. 2. quod Johannes inde miserit, ubi Christi miracula, quæ tum verbo tum factò operabatur per seipsum, prædicari audiebat, quod contigit ἐν τῷ δεσμῶντι, quæ vox carcerem propriè signifi- cat, in quo vinceti asservantur ad supplicium, à verbo δεσμός vincio. Vulgata habet, in vinculis, sed cum vinculorum nomine apud Latinos tam compedes quam carcer ipse veniant, non est ut eam re- jiciamus. Alibi, nempe *Matth. 14. v. 3.* ubi causæ propter quas Jo- hannes

Circumstan- tia 4. in le- gatione hanc notanda.

Unde Jo- hannes mis- serit.



hannes in vincla coniectus, commemorantur, nempe quod incestuosas nuptias Herodis cum Philippi fratris uxore Herodiade improbasset, vocatur locus iste *Φυλακὴ*, custodia. Syriaca versio hunc locum appellat *ביתא דביתא* id est Domum vinctorum, quæ expositio nostræ planè est consentanea. Ubi tamen & hoc obiter notandum, omitti à Syro interprete præpositionem *IN*, quæ aliàs denotatur litera *ב*, quia hic dictio, cui præfigenda erat, à *ב* incipit, ubi concursus similium literarum ut ab Hebræis, ita quoque à Syris vitari solet.

Quos miserit.

IV. Altera circumstantia similiter extat v. 2: ablegasse videlicet Johannem discipulos suos, à quibus opera Christi in vinculis audierat, & illos quidem non omnes, sed ex eorum numero duos. Hisce totum negotium demandavit, siquidem ad illud expediendum, pluribus minimè opus erat. Hi enim sufficiens testimoniū perhibere potuerunt contra multos alios incredulos discipulos, sicut olim Josua & Caleb contra multos alios ad terram Canaan explorandam missi contestando steterunt, Num. 14. Et in ore duorum aut trium consistit omne verbum, Deut. 19: v. 15. Matth. 18: v. 16.

Ad quem miserit.

V. Accedit tertia *περιστασις*, quò istos suos discipulos Johannes ablegarit. Ubi textus iterum satis clarè innuit Terminū ad quem hujus legationis fuisse Christum Jesum. Sic enim verba sonant: *Johannes cum audisset in carcere opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi &c. Et mox v. 4. Et respondens Jesus &c.*

Cur miserit.

VI. Ultima circumstantia hujus partis, quæ est de causa hujus missionis, difficultate non caret. Verior tamen est sententia, Johannem Baptistam in hac legatione non tam sui ipsius (ipse enim dubitare de Christo non poterat, quia 1. ab utero sanctificatus Luc. 1. 2. cœlitus ipsi manifestatus fuit Messias, Iohan. 1. v. 33. 3. toto sui ministerii tempore testatus est de Christo. 4. à Christo ipso in hoc Evangelio est excusatus) quam aliorum in fide vacillantium, & in primis discipulorum suorum rationem habuisse, quorum animos erronea hæc opinio occupaverat, ut statuerent Johannem magistrum suum esse illum in V. T. à Deo promissum Messiam, proinde invidiae stimulis contra Christum agitati, semper ab eo alieniores erant, quæ res, ait Chrysostr. maximè verbis ipsorum comprobatur. Dicebant enim ad Johannem: *Qui tecum erat trans Iordanem, cui & testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ad eum veniunt: ac rursus de-*

sus de mundatione facta est quæstio inter Iohannis Discipulos & Iudæos: præ-
terea Iesum agredientes dicebant, Cur nos & Pharisei jejunamus frequen-
ter, discipuli autem tui non jejunant. Homil. 37. in Matth.

VII. Hanc ergo falsam opinionem suis discipulis exemturus
Baptista ad Iesum eos remittit & vult, ut ex verbis & factis ipsius
colligant, utri titulus ac elogium Messia rectè competat, sibi-
ne an Christo, memor vocis paternæ cœlitus delapsæ: Hunc audite
Matth. 17. v. 5.

VIII. Et ad hoc feliciter exequendum, tempestivam occasio- *Quando*
nem, quam hæctenus diu captaverat, ipsi præbuerunt miracula & *miserit.*
opera Christi, & in specie filii viduæ Naiticæ excitatio à mortuis,
quemadmodum ex Luc. c. 7. constat, qui hoc miraculum cum le-
gatione Iohannis ita arctè connectit, ut sine violenta & contorta
explicatione se jungi nequeant. Dicit enim v. 16. Populum ob hoc fa-
ctum magnificasse Deum dicendo: Prophetam magnum surrexit in nobis, & Deus
visitavit plebem suam. Et exiit hic sermo de eo in universam Iudæam &
omnem circa regionem, vers. 17. Ac statim in uno quasi contextu sub-
jicit v. 18. Et nunciaverunt Iohanni discipuli ejus de omnibus his, & convo-
cavit duos &c. Unde ulterius manifestum evadit, Evangelistam Lu-
cam ordinem temporis in hac historia enarranda observasse,
quem Matthæus non attendit.

IX. Cæterum ita informat quæstionem Iohannes quasi ipse *Baptista dis-*
dubitaret, quia discipuli proprio ausu eam de re Christum aliàs *scipulorum*
nunquam appellassent. Sicut interdum optimus quisq; medicus ut *infirmatē*
ægrum sanat, seipsum ægrotare simulat. Quo spectat dictum Apo- *in se suscipit*
stoli 2. Cor. 11. v. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et hanc
genninam esse missionis causam, patet præter ista th. 6. adducta, ex
ratione, quæ v. 2. exprimitur: Cum audisset Iohannes opera Christi, i. e.
miracula, misit &c. Anne miracula Christi trahere potuerunt ad
dubitandum virum illum, qui antea sine miraculis, non solum in
Christum crediderat, sed etiam publicè eum agnum Dei tollentem
peccata mundi proclamaverat, Iohan. 1. Discipulos itaq; mittit,
ut miracula videant, & de Christo dubitare desinant. Hinc Autor
imperfeiti operis Homil. 27. Volebat, inquit, Iohannes discipulos suos Chri-
sto adjungere, tanquam si providus Pater moriens filios suos consignet fidei
tutore. Desiderabat enim vivens plenam fidem videre discipulorum, & sine
dubitatione aliqua credentes in Christo.

Quaestio
Christo pro-
posita qua-
est.

X. Quaestio verò quam Legati ad mandatum magistri Johannis proponunt Jesu, est hæc: $\Sigma\upsilon\ \epsilon\acute{\iota}\ \delta\ \epsilon\rho\chi\acute{o}\mu\epsilon\nu\ \textcircled{\text{C}}\ \eta\ \acute{\epsilon}\tau\epsilon\rho\omicron\nu\ \pi\rho\sigma\delta\omicron\kappa\acute{\omega}\mu\epsilon\nu$; Tunc es ille qui venturus est, an alium expectabimus? & sic vocabulum $\delta\ \epsilon\rho\chi\acute{o}\mu\epsilon\nu\ \textcircled{\text{C}}$ rectius redditur, ut habeat significationem temporis futuri, & idem sit ut $\delta\ \epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\acute{o}\mu\epsilon\nu\ \textcircled{\text{C}}$, sicut *Matth. 2. v. 4. γεννᾶται* ponitur pro *γεννηθήσεται*; quam per tempus præteritum sive perfectum, *Venturus fuit*, sive plusquamperfectum, *Venturus erat*, quemadmodum vult Beza, Vid. celeberr. Theol. Chemnit. in sua Harmon. Evangelica c. 55. Græci namq; perpetuò ferè hac voce futura describunt, ut annos futuros *Genes. 41. v. 35.* Venturam generationem *Psal. 21. v. 22. & 70. v. 18.* tempus ipsum futurum *Eccles. 2. v. 16.*

XI. Et sanè si participium *ἐρχόμενος* per præteritum hîc exponendum esset, everteretur quaestio discipulorum. Qui enim dubitanter *ἀπλῶς* aliquid interrogat, is neque aliquid affirmat neque negat. Atqui Johannes prius facit, non quod ipse dubius de Christo esset, sed ut suos discipulos, quos fluctuare atq; ipsius assertioni non credere videbat, in sanam viam reduceret. Quomodo igitur in hac quaestione affirmare potuit Messiam venisse, quod formulæ istæ in præterito involvunt.

XII. Respexit itaq; Baptista vocabulo isto *ἐρχόμενος* ad promissionem Patribus factam, q. d. Tunc is, qui venturus est secundum promissionem Dei in carnem ad salvandum mundum. Et hoc sensu appellatio accommodari potest ad Christum incarnandum in V. T. *ἐρχόμενος*, scil. qui prædictus est, quod sit venturus; & ad Christum exhibitum & incarnatum in N. T. ut sic *ἐρχόμενος* notet, qui prædictus fuit, quod deberet venire, quæ est vera Christi periphrasis.

XIII. Simili loquendi modo paulò post dicitur: *Ipse est Helias qui venturus est*, id est, qui ut venturus, apud Malach. describitur. Vox *ἕτερον* idem significat hîc quod *ἄλλον*, quam etiam Lucas expressè ponit. *προσδοκῶμεν* expectamus, pro expectare debemus, *Flaccius*. Est Hebraïsmus admodum frequens in Scriptura, ut *Matth. 5. v. 46. & 6. v. 1. Luc. 1. v. 34. c. 13. v. 32. Iohan. 6. v. 28. & alibi.* Confer *Illyricum part. 2. clav. script. tract. 3. mihi pag. 241.* In quadam editione Bezae Tiguri excusa legitur *προσδοκῶμεν*, sed videtur σφάλμα Typographicum.

QV

QVÆSTIONES DUBIÆ EX PRIMA
PARTE EVANGELII.

Quæst: I. An ad doctrinam Lutheri quen-
quam adducere liceat?

Circa hanc materiam non immeritò propter adversariorum
corruptelas & depravationes, aliquot moventur quæstiones, &
primò circa legationis terminum ad quem: An ad doctrinam
Lutheri quemquam liceat adducere? Negativam ex hoc textu
acerbissimis verbis propugnare sibi proponit Iodocus Nahum, Do-
min. III. Advent. pag. 37. Sacrilegi sunt, inquit, qui homines ad Papam,
ad Lutherum, Zwinglium aut Calvinum eorumq; doctrinam deducunt. Hò
enim errare possunt, hi pro nobis crucifixi non sunt: Christo errare nescienti
& pro nobis crucifixo discipuli sunt adducendi. Iohannis discipuli satis su-
perq; nos docent quantum damni regno & Ecclesie Christi afferat, à magnis
viris, etiam graviter ac fideliter in Ecclesia laborantibus pendere? quantum
certamen nobis peperit Lutheri à discipulis ejus in coelum sublata autoritas?
quas factiones acturas Corinthios Ecclesie dedit nimia ministrorum ad-
miratio? Si tantum id vellet hic Calvini in fide socius, non esse ali-
cujus Theologi autoritatem ita magnificandam, ut non multis
parafangis semper præferenda sit autoritas Scripturæ & Christi,
facilime nos haberet ὁμοψύχως, sed latet angvis in herba, longè
aliud intendit ἐπέρογνος iste Spiritus, nempe ut à sana doctrina Lu-
theri super fundamentū, q̄ est Christus & ipsius verbum extracta,
abducti, Lutheranorumq; nomine abjecto, sub generali Christiania-
norū, vel Orthodoxorū, vel ut recentiores Calviniani appellari ma-
lunt, Reformatorum titulo ad Syncretismum & fraternā coalitio-
nem cum iis conspiremus, ut que sic sub communi Christianorum
vel Evangelicorum nomine hæresin suam palliare, & simpliciores
facilime decipere possint. Nam si equā lance ponderentur singula, in
fundamento fidei consensus Evangelicorum est, inquit Pareus in Irenico cap.
29. motiv: 19. Et in uno tantum doctrinæ capite, eorū fundamentum directè
non concernente, dissentiunt. ait idem cap. 13. Verum enim verò re-
spondemus nos verbis Apostoli ex 2. Corinth. 6. v. 14: Quæ parti-
cipatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? quæ con-
ventio

Lutheri no-
men cur de-
trectēt Cal-
viniani.

*ventio Christo cum Belial? aut quæ pars fidelium cum infidelibus? Pax esse hæc non Evangelica sed Samaritana, concordia non Orthodoxa sed Ariminensis & Hæretica, quam studiosè nos vitare jubet D. Paulus Tit. 3. vers. 10. & Iohan. Epistola 2. v. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. qui enim dicit ei Ave, comunicat operibus ejus malignis. Quam verè a nostrum cū Calvinianis in articulis fidei consensum jactitet Pareus, pagellæ hæc non admittunt refutare. Vid: ea de re Clariss. Leonhard. Hutcherus in Irenico verè Christiano Pareo opposito. Deinde quod nomen Calvinii adeò odiosum est Nahumio, ut illud modis omnibus à se amoliri studeat, immò sacrilegum vocet, qui aliquem ad Calvinum vel Zuinglium eorumque doctrinam deducit, inde haud obscure colligitur hominum horum doctrinam, qui tamen totius Reformatæ religionis autores sunt & capita, suspectam & verbo Dei prorsus contrariam esse. Tertio à Luthero denominamur, ut verioris & purioris religionis ac fidei assertore & ministro, non tanquam à gratiæ vel fidei magistro, seu novi dogmatis inventore; à solo autem Christo tanquam fidei ejusdem Autore, Christiani nuncupamur, suntque hæc nomina non opposita, sed subordinata. Quarto nec ex illa missione discipulorum Johannis ad Christum ullo modo sequitur, non esse diversas sectas à suis Doctoribus distinctionis causa denominandas, quin potius contrarium inde sit manifestum. Nam discipuli Johannis tam antè, quam post hæc ipsam legationem discipuli Johannis sunt nominati, licet postea utriusque tam Johannis, quam Christi doctrinam fuerint amplexati. Quod verò initio magis diligenter Johannem quam Christum, in causa non fuit nomen, aut amor erga Baptistæ doctrinam, ut sibi imaginatur Nahum, quippe quæ à Christi præceptis ne in minimo quidè discrepabat; sed judicii perversitas in discipulis, & offendiculum, quod ex humili & servili specie ac conditione Christi sumserant, unde Christus gravem hanc admonitionem suæ responsioni ad discipulos annectit: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Quinto factio illa Corinthiaca, quæ alius se dixit esse Pauli, alius Apollinis, alius Cephæ, alius Christi, nihil ad rem facit. Ibi enim erat inutilis consentientium in vera fide scissio, hic videlicet inter nos & Calvinianos, est necessaria, propter diversum fundamentum dissensio. Ibi tantum lis erat de perso-*

Non potest
 syncretis-
 mus inter
 nos & Cal-
 vinianos
 locum ha-
 bere.
 Sorex suo
 judicio pe-
 rit.

Lutherani
 à Luthero
 & Christo
 nomen sor-
 tiuntur.

Factio Co-
 rinthiaca
 Ecclesie
 qualis.

personarum præminentia, ob inæqualitatem donorum in iis, quis major esset, num Paulus, num Cephæ, num Appollo; hinc de doctrina ipsa & fundamentalibus religionis articulis controversia agitur. Ibi Apostolorum nomina sibi ita tribuebant Corinthii, ut Christum interim seponerent; nos verò Lutheri nomen ita ferimus, ut in omnibus Christum perpetuò præferamus. Quemadmodum ergò tempore Christi, discipuli Johannis, nomen quod à Ductore suo, qui tamen pro illis crucifixus non erat, duxerant, citra ullum sacrilegium impositum fuit, quamvis postmodum toti à Christo penderent, ut hoc pacto à Saducæis & Phariseis distinguerentur, & Paulus ipse se Phariseum vocat, ut à Saducæis, quoad articulum de resurrectione mortuorum dissentire videretur, *Act. 23. v. 6*; ita à verbo Dei nequaquam alienum est, ut quatenus Christi doctrinam sequimur, Christiani, & eandem doctrinam à Luthero tanquam fidei Christi Præcone secundum Spiritus S. ductum dextrè explicatam sectamur, τῆς διακρίσεως ἐνεκα Lutherani denominemur. Vicissim quemadmodum hæretici, qui Nicolai falsam doctrinam sunt secuti, dicuntur Nicolaitæ, *Apocal. 2. v. 6*; Sic qui falsa Calvinii dogmata exosculantur, optimo jure Calviniani nominantur. Quod Pareus ipse veritatis claritate pressus fatetur, in hæc verba erumpens super *1. Corinth. 1: An non licet Hereticos nominibus suorum autorum appellare ut caveantur? Quid ni liceat, quando de Hæresi constat? Sic enim Scriptura Nicolaitas, Libertinos appellat.* Subsumo: De Hæresi Calvinii constat, quod à nostratibus Theologis hæcenus ad oculos demonstratum. Ergò qui Calvinii dogmata probant, Calviniani verè appellantur. Colophonis loco adjiciam constitutionem Imperat. *Theod. & Valentin. de simili controversia ad Leontium l. 6. Damnato. C. de Hæretic. Damnato portentosa superstitionis autore Nestorio, nota congrui nominis ejus inuratur gregalibus, nec Christianorum appellatione abutantur: sed quemadmodum Ariani ab Avio lege divæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur; Sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii, Nestoriani vocentur, ut cuius scelus sunt in deserendo Deum imitati, ejus vocabulum jure esse videantur sortiti. Jam cum de similibus idem sit judicium, Calvinii asseclas meritò Calvinianos appellamus.* ὅπερ ἐστὶν δὲ θεοῦ.

Calvini
asseclas rectè
Calviniani
vocantur.

B

Quæst.



Quæst. II. An Sacramenta conferant rectè
uentibus salutem?

Errores erroribus cumulans negativam cum Calvinianis & Photinianis, qui in quamplurimis fidei articulis unum jugum trahunt, etiam hic asserere nefas non ducit Nahum, sic enim ibid: pergit: Peccant quoq; contra hanc doctrinam, nempe legationem Johannis ad Christum, qui salutem non in Christo, sed in ceremoniis externis, in Baptismi aqua, in Cœnæ Sacramento externo, in missis, vigiliis, peregrinationibus, eleemosynis ac jejuniis quærunt. Solus enim Christus peccata nostra expiavit, ac Patri cœlesti nos reconciliavit: in totum ergo hæc laus illi tribuenda est, ac in communionem & societatem ejus nulla creatura est admittenda. Sed quis non videt hominis hujus perversissimum in opprimenda veritate animum? Eiusdem farinae censet & commiscet sacratissimas à Christo *ἱερουργίας* institutas & severè commendatas Sacramentales actiones, cū Idololatricis & superstitiosis Pontificiorum cultibus & ceremoniis. Quod blasphemum.

II. Opponit pessimè meritum Christi, & Sacramenta ab ipso Christo ordinata, quæ tamen *ὑποτάχως* sunt subordinata, diversa sunt non adversa. Salvamur merito Christi, ut causa efficiente meritoria, 5. Salvamur quoq; per verbum seu Evangelium, ut causam instrumentalem sive medium offerens. Salvamur etiam per Baptismi & cœnæ Dominicæ Sacramentum, ut medium partim exhibens partim obsignans. Salvamur denique etiam per fidem, ut medium apprehendens & applicans. Hæc qui opponit *ἀγαστῆρας* *δαιμόνας* vehementer laborat, & turpem oppositionis elenchum committit. III. Contradicit manifestis Scripturæ testimoniis. Sic namque Apostolus Tit. 3. v. 5. *Salvos fecit nos Deus per lavacrum regenerationis &c.* Et 1. Petr. 3. v. 21. *Salvat nos Baptisma.* Quod ipsum etiam innuunt verba Eucharistiæ, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur *in remissionem peccatorum.* Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur *in remissionem peccatorum.* Quibus ergo manducatione corporis, & bibitione sanguinis obtingit remissio peccatorum, quin illis etiam salus obtingat, nemini debet esse dubium. IV. In Baptismo, aquæ nudæ & simplici, seu ut vocat Catechismus Smaltzii materiali illam vim non assignamus, sed quatenus certo Dei verbo est sanctificata, cum quo & per quod Spiritus

Sacramen-
ta & Chri-
sti meritum
malè oppo-
nuntur.

Baptismus
salvat.

Spiritus sanctus regenerationem ac renovationem efficaciter in baptizatis operatur, atque unum salutis *σωτηριον* producit, *Ioh. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 6. & seqq. 1. Petr. 3. v. 21.* Hinc B. Lutherus in *Catech. minor: Aqua, inquit, tantas res non efficit, sed verbum Dei, quod in & cum aqua est, & fides, quæ verbo Dei addito aquæ, credit. Quia aqua sine verbo Dei est simpliciter aqua & non est Baptismus, sed addito verbo Dei est Baptismus, hoc est, salutaris aqua gratiæ & vitæ, & lavacrum regenerationis in Spiritu sancto.* Ita se res quoque habet in sacra Cœna, ubi mediante pane & vino verum corpus & verus sanguis Christi ad manducandum ac bibendum nobis exhibetur, ac Spir. S. gratia in cordibus nostris obsignatur, *1. Corinth. 10. v. 16.* V. Divisio illa Calvinianorum, qua duplex constituunt Sacramentum, aliud internum aliud externum, falsissimis nititur hypothesebus, quasi Spiritus S. etiam ordinariè non mediantibus elementis illis visibilibus, tanquam per *ὄργανον* ad salutarem istum finem divinitus destinatum nobis conferatur; sed immediatè ab eo in nobis fides excitetur, peccatorumque remissio confirmetur. Verum quid opus fuisset Sacramentorum ordinatione, si sola verbi prædicatio, vel parentum sanctitas id efficere potuisset? Salvator sanè ipse *Iohan. 3. v. 5.* in baptismi Sacramento non vel soli aquæ, vel soli Spiritui aut seorsim, sed utriusque rei simul & conjunctim, tanquam diversis quidem partibus, unum tamen totum constituentibus, unam quoque numero operationem, videlicet regenerationem ascribit. Quò spectat illud Apostoli *Ephes. 5. vers. 6. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

Sacramenti
divisio in
Internum
& Externum
vitiosa.

Quæst. III. Num Johannes reverè dubitaverit Christum esse Messiam Patriarchis & Prophetis promissum?

Mirè hic se torquent ingenia humana & varias explicationes præter necessitatem comminiscuntur. Alii ut *Iustinus Martyr quest. 38. ad Orthod. & Tertullian lib. 4. in Marcion.* affirmare non verentur, Baptistam verè de Christo dubitasse. Annectit etiam aliquid adhuc multò deterius Tertullianus, nempe hæsitasse Johannem ideò, quia Spiritus Prophetiæ totus ab eo in Christum translatus fuerat. Verum hanc sententiam tanquam à veritate & pietate

Varia opinionones de causa legationis Johannis I. Opinio



pietate penitus abhorrentem, atque è Theologor. Scholis diu ex-
plosam brevitati studentes relinquimus. Vid. *Salmeron. tom. 4. com-
ment. in Evang. Histor. part. 2. tractat. 1. Barrad. tom. 2. lib. 8. c. 8. Costerus
Opinio II. Conc. 2. pag. 22.* Alii Johannem istâ quæstione solatium sibi expe-
tuisse statuunt. Sic enim *Pelbartus. de Themesvvar Domin. II. Advent.
serm 1. Interrogavit etiam Iohannes Christum propter suam consolationem
ex admiratione & amore.* Et mox distingvit inter quæstionem
dubitationis, admirationis & dilectionis. Et addit: *Sic Iohannes quæsivit,
non dubitando, sed ex amore & admiratione tantæ pietatis Christi, quod vi-
delicet vellet in propria persona descendere ad Patres in limbo detentos, qui-
bus gaudium volebat annunciare.* Præterquam autem quod hæc sen-
tentia crassissimum foveat errorem de limbo Patrum, de quo
mox plura, non potest admitti ob sequentes rationes: 1. Quia
non consentit cum responso Christi, qui nihil de suo ad Patres in
limbo descensu Johanni renunciare jubet, sed miracula, quæ audi-
verant & viderant. 2. Repugnat testimonio Christi addito de
Johanne, quem ob constantiam minimè laudasset, si consolatio-
nem in carcere tam seriò desiderasset. 3. Et quid opus habuit
consolatione, qui Spiritu consolationis ab utero materno repletus,
atque ab eo in fide confirmatus fuit *Luc. 1. v. 15. & 80.* 4. *Nec le-
gitur grande peccatum ullum fecisse, quo Spiritum S. amiserit.*
Opinio III. Alii Johannem hanc legationem ideò instituisse, ut ipse quod *Iudei
neglexerant, impleret, ut q. sic Christus interrogatus, Messiam se esse aperte po-
pulo indicaret, quæ verba sunt Barradii d. l.* Sed & hæc interpretatio
est inconueniens. 1. quia jam antè extabat publicum testimonium
de Christo, illum esse verum Messiam & dilectum Filiū Dei Patris
Matth. 3. v. 17. quod omnibus non præfractæ mentis hominibus
sufficere potuit. 2. Christus hoc ipsum miraculis satis confirma-
vit. 3. Hoc pacto voluntatem Baptistæ vel non rectè intellexit
set Salvator, vel ejus quæsitum, ut indecens improbasset, siquidem
expressis verbis se Messiam non est professus, sed discipulos ad
miracula remisit, quod tamen utrumque absurdum, & à textu
alienum. 4. verba quoque ista quæ ultimo loco in responsio-
ne ad discipulos subdit Christus: *Beati, qui non fuerit scandalizatus
Opinio IV. in me,* quæstioni neutiquam responderent. Alii, Baptistam inter-
rogasse, an Christus moriturus esset, & ad limbum descensurus, ut
eum etiam ibi præveniret, & ejus adventum annunciando ageret
præcur-

Præcurforem. Hæc sententia ascribitur ex vetustioribus Grego-
rio, Eusebio, Venantio. Ex recentioribus crambem recoctam in suis
scriptis apponunt Vernerus Abbas, qui in lib. Desolationum ita in-
quit: Spiritus Prophetie prophetantis animum aliquando tangit ex presenti
& non ex futuro, ut Iohannes ait: Ecce agnus Dei. Moriturus autem re-
quisivit per discipulos suos dicens: Tu es, qui venturus es. In quo ostendi-
tur, quod venisse redemptorem noverat, sed an per seipsum in infernum descen-
deret, dubitabat. Tali quippe lapsu pietatis & amoru, non infidelitatis, nec
sancti crediderunt Christum moriturum. Et Antonius de Giflandis etiam
ex textu rationem pro hac opinione elicere allaborat: Iohannes,
inquiens, non dicit: Tu es, qui venisti, quia sciebat ipsum ad salvandum ve-
nisse, sed dicit: Tu es qui venturus es, sc. ad infernum. Imò Franciscus Co-
sterus in con. super hoc Evangelium pag. 22. adhuc audacius progressus,
non erubuit certos locos communes, ut vocant, seu doctrinas
inde extruere: Primò sicut Iohannes non modò vivus apud vivos præ-
cursor erat, sed idem officium retinebat post mortem suam apud mortuos,
ita nos quoq; non simus contenti dignitate illa aut statu, quem in mundo
habemus, sed pro viribus agamus ut in posterum ad altiorem statum ve-
niamus. Deinde diligenter pro animabus defunctorum oremus, & non so-
lum eis benefaciamus dum hic vivunt, sed etiam post mortem illorum.
At vanissimam hanc esse collectionem, ac falsissimâ niti hypothe-
si probant sequentia argumenta: 1. quia limbus iste Patrum,
quem partem superiorem inferni faciunt Pontificii, est purum
figmentum & hominum otiosorum somnium. Scriptura enim
sanctos post discessum ex hac vita, non in inferni aliqua conti-
gnatione, sed in cælo seu manu Dei collocat Deuter. 33. v. 3. Psal.
30. v. 6. Luc. 23. v. 46. Ecclesiast. 12. v. 7. Sapient. 3. v. 1. Unde etiam illa
pro mortuis oratio est frustranea. Ex inferno enim nulla est re-
demptio. Et qui credit in Christum, non iudicatur, qui autem non credit,
iam iudicatus est, Iohan. 3. v. 18. 2. Si ceteri Prophetæ optimè scie-
bant Christum moriturum, quomodo is, qui plus quàm Prophetæ,
& inter natos mulierum maximus, ut Salvator noster ipse in ho-
dierno Evangelio testatur, id ignorare potuit? 3. Iohannes
publicè Christum proclamavit agnum Dei, qui tollit peccata mundi
Iohan. 1. v. 29. quo sanè, clarè simul innuebat Christi passionem &
mortem, ut evidenter ostendit Chrysostom. homil. 37 in Matth. sine
sanguinis enim effusione nulla fit peccatorum remissio, Hebr. 9. vers. 22.

4. Si de morte Christi dubitasset Johannes, utiq; eo modo etiam interrogasset: Tunc es ad inferos venturus? non simpliciter, Tu es venturus? 5. Quia sic etiam Christi responsio ad interrogationem non quadraret. Signa namque quæ Christus enumerat, ejus divinitatem & Messia in carne adventum, non aliquid ad inferos descensum demonstrant. Neque illa ratio Antonii de Gislendis ullius est momenti, siquidem tantum principium petit, & nuda glossa est omnibus Evangelii circumstantiis & toti contextui contradicens. Hinc jure summo D. Chrysostomus contra hujus

Opinio
& vera.

V. Nolite pueri effici sensibus sed malitiâ parvuli estote. Manet E. hujus questionis, interpretatio firma & vera, quam in thesib. supra exposuimus, quamq; ex Orthodoxis Chrysost. Autor imperf. operis, Hilarius, Cyrillus, Augustinus, Haymo, Chemnitius, Hunnius, Osiander, ac præterea ex Pontificiis, Eccius, VVicelius, Maldonatus, Stapletonus & plerique interpretes amplectuntur, nempe Johannem non sui sed discipulorum gratia, quos de Christo subdubitare videbat, Legatos ad Salvatorē misisse. Quod & circumstantiæ omnes, & rationes invictæ ex Scripturis petita satis luculenter evincunt. Pergimus itaq; ad alia.

Quæst. IV. An Latina Bibliorum versio vulgata debeat pro authentica haberi?

Magno id conatu evincere sudat Bartscius in conc. pag. 254. Nam 1. Ex collatione hodierni Evangelii à Matthæo & Luca descripti statuit, discipulos Iohannis in quæstione sui magistri ne verbulū quidem mutasse, sed omnia etiā quo ad literam retinuisse, & inde mox subinfert, Ecclesia imprimis cavendum est, ne novis interpretationibus, translationibus ullis, quicquam antiquæ & vulgatae suæ lectioni in Latinis derogetur. Cum contra Heretici quotidie nova formentibusve etiam integras alicubi vel detrahendo, vel addendo, vel immutando, sed tota etiam capita, quin libros etiam plures inter Apocrypha rejiciendo. Hætenus Bartscius. Liberalem in colligendo ferre possumus, prodigum a versamur. Largimur discipulos Iohannis formam à Magistro præscriptam etiam *ἡ ἑνὸν* retinuisse, inde tamen nulla consequentia deduci, versionem Latinam Bibliorum vulgatam

gatam pro authentica, omnesq; qui in ea reperiuntur, libros Apocryphos pro Canonicis habendos esse, quivis mentis compos intelligit. Immo valde iniquum esse illud postulatum patet 1. quia de autore illius versionis nondum constat. Nam quod de Hieronymo affertur, illud æquè est dubium, cum negari non possit, hanc diversam esse ab illa, quam Hieronymus in suis operibus interpretatur, ut luculenter ostendit *Münsterus contra Steuchum*. 2. Si vel maximè Hieronymus autor afferendus, minimè tamen ob id esset authentica, cum aliud sit esse vatem, aliud interpretem, ut loquitur *Hieronymus in præfat. in Pentateuch*. 3. A fontib. quam sapissimè recedit, disjuncta conjungit, conjungenda divellit, scatet barbarismis & solœcismis, menda habet dogmatica, Historica, Chronographica, Topographica &c. quemadmodū id fusè à multis hætenus probatū fuit, quæ hic repetere nimis prolixum foret. Consule *Lyram, Eugubinū, Burgensem, Jacobū Fabrum, Ludovicū Vivem, Armachanum, Valam, Erasmus, Vatablum, Pagninum, Ariam Montanum* & alios. Cæterum quod addit Jesuita, Hæreticos (quo nomine etiam nos falsò solent indigitare Pontificii) nova quotidie Biblia formare, antiqua corrumpere &c. id nos nequaquam ferit, cum nihil magis studeamus in nostris Ecclesiis, quam ut omnes translationes fiant fontib. ipsis conformes, & ut cum veritate Hebraica in Veteri, vel Græca in Novo Testamento quam maximè consentiant. Quod verò subjicit de libris quibusdam, quos dicit nos inter Apocryphos numerare, propterea damnans nostram sententiam, eò procul dubio respicit ad Patres Concilii Tridentini, qui omnia scripta etiam à veteri Ecclesia inter Apocrypha recensita, modò in vulgata Latina extant, ut librum Syracid. Judith, Sapientia, Tobia, Baruch, Maccabæorum &c. sine discrimine ad Canonem referunt, ac æqualem auctoritatem ad dogmatum Ecclesiasticorum auctoritate confirmandā obtinere statuunt, qui secus dixerit, eū anathemate percutiunt sess. 4. decret. 1. At parata est responsio. Licet hi libri non contineant doctrinam planè impiam, tamen examinati ad sacra Scripturae canonem, non omni ex parte conveniunt, sicut reliqui, neq; divinam illam majestatem, veritatem, sapientiam & Spiritum, quem Prophetici & Apostolici, redolent, unde meritò Apocryphi, id est, secreti, absconditi & ignoti nominantur. 1. Quia non sunt deo & reusor, vel à Prophetis scripti, 2. Nomina autorum sunt incognita

An omnes libri in Latinis Bibliis comprehenssi sint Canonici.



incognita. 3. Christi & Apostolorum in N.T. destituuntur appro-
batione. 4. Alio quàm Hebræo idiomate consigniti. 5. In verita-
tem historicam & chronologicam impingunt. 6. Eorum autores
sux scriptiois veniam deprecantur. 7. Ab Ecclesia veteri non
sunt digni habiti, ut ad confirmationem dogmatum publicè lege-
rentur in cœtu fidelium, quemadmodum testatur *Autor expositionis*
in symbolum apud Cyprianum. Vid. D. Chemnit. in Exam. Conc. Tri-
dent. part. 1. & Rev. ac Clariss. D. Præses in Prælect.

Pars II. De Responsione

CHRISTI.

Responsio Christi duo continet, Mandatum & Admonitionem. Mandatum erat de rebus visis & auditis Johanni renunciandis. XIV. Hactenus de missione & quæstione Iohannis; sequitur responsio Christi, quæ constat non nudâ asseveratione, sed 1. mandato. 2. tacitâ reprehensione scandali accepti; Mandato discipuli jubentur renunciare Iohanni. 1. Audita, 2. Visa, conciones videlicet Evangelicas. *Euntes*, inquit, *renunciate Iohanni & à cunctis* *ἡμεῖς βλέπετε, quæ auditis & videtis* v. 4. Vulgata, *quæ audistis & vidistis*. Sed de re præsentis loqui videtur Salvator. Scribit namq; Lucas c. 7. v. 21. *eâdem hora*, quâ sc. Iohannis discipuli venêre ad Christum, ipsum multos sanasse à morbis, & plagis, & malis spiritibus. & multis cæcis visum donasse. Cyrill. lib. 2. thesaur. cap. 4. ita hæc verba recitat: *Quæ audistis à Prophetis, & vidistis per me consummata*. Quæ interpretatio, si de Prophetis in Scriptura loquentibus intelligatur, non est absurda.

XV. Sic adhuc clarius totam discipulorū Iohannis expeditionem, ut & responsum Christi Lucas, quam Matthæus exponit, dicit enim v. 20. *Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt, Iohannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille qui venturus est, an alium expectabimus? In ipsa autem hora multos curavit &c.* Et respondens dixit illis: *Euntes renunciate Iohanni, quæ audistis & vidistis*. Sicuti ergo Iohannes alienam personam in se transtulerat, ita Dominus ei renunciari jubet, quod magis observandum erat ipsis discipulis.

Messiam cur se Christus apertè non sit professus. XVI. Quod autem Christus non verbis expressis responderet, Ego sum Messias, causa procul dubio hæc erat, quia objicere potuissent discipuli Iohannis cum peritnacib. Pharisæis *Iohan. 8. v. 13.* *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Quia igitur

igitur nudæ asseverationi vix credidissent, ac Baptista legationem
ita instituerat, ut Christus non tam verbis affirmaret, quam ope-
ribus demonstraret, se esse verum Messiam; hæc enim animam
possunt reddere ἀμετάπτωτον, siquidem ut Chrysof. ait, Homil. 37.
in Matth. Testimonium, quod à rebus trahitur, certius est quàm verborum &
absq; ulla suspitione. Et Salvator ipse Iohan. 5, v. 36. Ego habeo testimonium
majus Iohanne, opera enim quæ dedit mihi Pater, ut ego perficiam, ipsa opera,
quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quod Pater miserit me. Et c. 10.
v. 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere, sin verò facio, etiamsi
mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis Patrem in me
esse, & me in Patre. Ideò Christus mentem Iohannis probè perspi-
ciens, responsi loco miracula quantitate magna & numero multa
(Francis. Coster. conc. 2. illa miracula fuisse plura censet quàm cen-
tum, quod tamen ex textu probari haud potest) in illorum con-
spectu edit, & Evangelii doctrinam populo, sin primis verò disci-
pulis exponit, atq; hæc jubet Iohanni renunciare.

XVII. Sebast. Barradius adhuc aliam hujus facti comminiscitur *Barradii*
causam, videl. quoniam Iudæi Messiam Regem expectabant. Iam si Messiam *ratio cur*
se expressè diceret, id est Regem, Phariseos ad accusandum, Romanos ad oc- *Christum ex-*
cidendum excitaret: ne igitur ante destinatum tempus passioni ansam daret, *pressis ver-*
palam Messiam & Regem se esse affirmare volebat. Quamvis verò hæc *bis non re-*
ratio non adeò absurda videatur, tamen textus circumstantiis non *sponderit*
convenit, fuit enim ex falso præsupposito, quasi Iohannes suâ le- *lubrica.*
gatione tantum hoc quæsiverit, ut Christus se expressis verbis
Messiam assereret, quam tamen Barradii opinionem supra refuta-
vimus part. 1. quæst. 3.

XVIII. Retinenda igitur est nostra de Christi responsione data *ἡ ἀπόδειξις*
ratio, ex qua sanè discipuli invictam efficere potuerunt *ἡ ἀπόδειξις*: Christum
Quicumq; illa præstat officia, quæ Messia propria futura jam olim *verum esse*
per Prophetas prædictum fuit, ille est verus Messias. Jam verò *Messiam,*
hunc Jesum Mariæ filium illa omnia officia, quæ Messia futura
erant propria, reipsâ præstitisse & opere complevisse ex miracu-
lis & rebus gestis manifestè liquet. Ergò quin ipse sit verus ille &
promissus Messias, nemini potest & debet esse dubium.

XIX. Opera autem illa in specie commemorantur v. 5. I.
τυφλοὶ ἀνεβλέπουσιν, cæci vident. Beza & Tremellius, visum recipiunt, ad
præpositionem ἀνὰ exprimendam, quibus tamen resistit Herbor-
nensis

nensis Piscator, & verbum ἀναβλέπειν simpliciter per τὸ videre, ex collatione sequentium membrorum rectius vertendum æstimat. Et est enunciatio hæc: *Cæci vident*, intelligenda non in sensu composito, ut loquuntur Logici, sed sensu diviso, hoc modo: Qui ante fuerunt cæci, nunc vident. Sic & istas propositiones accipe: claudi ambulant, surdi audiunt. *Præponuntur verò cæci*, ait Salmeron, *quia in testimonio Esaiæ sunt primi. Et quia multi erant teste Luca, & quia omnium pretiosissimus sensus est visus.* II. *Claudi ambulant.* III. *Leprosi mundantur.* Sirus interpres *ⲛⲓⲛⲓⲛⲓ ⲙⲓⲛⲓⲛⲓ* & Leprosi. IV. *Surdi audiunt.* V. *Mortui resurgunt.* VI. *Pauperes exangelizantur*, ἐξαγγελίζονται, quod postremum miraculis Christi certo respectu non immeritò annumeratur.

ἐξαγγελίζονται hic significationem non obtinet. XX. Vocem autem hanc Theophyl. Euthym. & Salmeron activè interpretantur, q. d. pauperes prædicant Evangelium. Etsi verò non diffiteamur verbum hoc & activam & passivam significationem in Scripturis obtinere, tamen quo minus hic activè exponi possit, obstat, quia Christus inter miracula refert, quod pauperes evangelizentur, atqui miraculum nullum est ut pauperes Evangelium annuncient, cum etiam vilissimi homines maximarum rerum possint esse nuncii. Quod autem pauperibus prædicaretur Evangelium, illud valdè mirum erat, quia hoc nihil aliud est, quam gratuitum æterni Dei Patris favorem, & quæ hinc resultat, remissionem peccatorum & regnum cælorum illis præmitti, *Matth. 3. v. 2. cap. 4. v. 17. cap. 9. v. 35.* & alibi. Jam quid admirabilius, quam pauperem Dei amicum, immò Regem fieri? Et huc rectè accomodat *Lyra* dictum illud *Matth. 5. v. 3. Beati Pauperes Spiritu.*

XXI. Deinde voluit simul Dominus hisce verbis indicare vaticinium *Esa. c. 61. v. 2*, cuius etiam mentionem facit *Luc. 4. v. 18* in se impleri: *Spiritus Domini super me, propterea unxit me Dominus, evangelizare pauperibus misit me.* In Græco *ἐξαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπὲρ σαλῆς με*, ubi rursus passivè ista enunciatio interpretanda est, non activè in sensu, quem prædicti Autores urgent. Accedit autoritas Paraphrastis Syri, qui habet *ⲙⲏⲥⲧⲏⲛⲓ ⲙⲏⲥⲧⲏⲛⲓ* & *pauperes accipiunt Evangelii nuncium.*

XXII. Sed hic sicco pede prætereundum non est, in vaticinio illo Esaiæ reperiri vocem *עֲנִיִּים* hoc est, *Manfueti*, quibus opponuntur superbi & ambiciosi. LXX. autem interpretes reddiderunt

runt per *μακροῖς*, id est *pauperibus*, quasi in Hebr. esset *עניים* quod
& in aliis locis quamplurimis fecere. Verum possunt LXX. excu-
sari, quia inter hæc duo vocabula non admodum magna est signi-
ficationis discrepantia, descenduntque ab una Rad. *ענן*. Nam
qui pauper est, is plerunque etiam est humilis & mansuetus, multa
patitur, neque ita se extollit & aspero supercilio alios contemnit,
sicut facere solent divites.

XXIII. Tacita reprehensio discipulorum Johannis ob acce- *Reprehensio*
ptum scandalum continetur v. 6. *Beatus*, *ὁς ἐὰν μὴ σκανδαλίσῃ ἐν ἐμοί,* *Et simul ad-*
qui non fuerit scandalizatus in me. Erasmus vertit, *qui non fuerit offen-* *monitio*
sus per me, ut sensus dicti esse possit, illum esse beatum, quem Chri- *Christi rea-*
stus non offenderit. Sed hoc textui non congruit. Planior & *sponso an-*
nexa.
expeditior explicatio est, Christum gravissimo hoc epiphonemate
discipulos Johannis & fideles quosvis hortatum esse, ut missa
omni dubitatione se pro vero Messia agnoscerent, quasi diceret:
Vos dum credere detrectatis me esse Messiam, in me scandaliza-
mini. At nolite hoc facere, credite, etenim beatus est, qui in me
non fuerit scandalizatus, infelix, qui fuerit. Nam ut credentibus
sum lapis angularis, electus & preciosus, in quem qui crediderit, non con-
fundetur, *Esa. 28. v. 16. 1. Pet. 2. v. 6. ita incredulis; sum petra scandali &*
lapis allisionis. Esa. 8. v. 14. Roman. 9. v. 33. Positus in ruinam multorum, Lucae
2. v. 34. Quod Judæis eventurum Propheta *Esa. cap. 8. prædixit,*
idque sic implerum esse Apostolus refert *Rom. 9. v. 32.*

XXIV. Brevis sed verbis & factis sat valida & magnifica
hæc erat Christi responsio, quâ discipulos Johannis ad magistrum
suum remittit. Sciebat enim omniscius Dominus, si discipuli hæc
Baptistæ sint exposituri, quod ipse hinc ansam arrepturus esset,
singula responsionis membra prolixius ex Scriptura, ex qua tota
responsio depromta erat, deducendi, & hunc Christum Mariæ
Filium esse verum Messiam divinitus promissum demonstrandi.

QVÆSTIONES DUBIÆ EX SE-
CUNDA PARTE EVANGELII.

Quæst. I. *An Pontifex Romanus sit verus contro-*
versiarum Theologicarum iudex?

Textus hujus nostri circumstantias, qui probè attendit, facill
negotio



Controver-
siarum re-
ligionis nor-
ma sola
Scriptura.

Papa domi-
nium supra
Scripturam
extollunt
Pontificii.

negotio deprehendet, controversiarum religionis judicem con-
stituendum esse non Papam Romanum, aut ejus purpuratos sa-
tellites, sed sacram Scripturam, & in Scriptura loquentem Chri-
stum. Primò enim Iohannes ortâ inter suos discipulos dubita-
tione de Messia, non sibi aliquod ex proprio cerebro petitum,
arrogat iudicium, quamvis esset plus quàm Prophetæ & inter na-
tos mulierum maximus, verum ad Christum eos cum quæstione
ista ablegat, ut ab illo certitudinem fidei haurirent. Deinde Chri-
stus quamvis esset unigenitus Dei Filius, de quo Pater de cælo te-
stis est, *Hunc audite*, hanc tamen controversiam ipse propriis
suis verbis terminare noluit, sed verbum à Prophetis scriptum,
iudicem ponit, & totam suam responsionem ex Scriptura depro-
mit. Confer loca *Esa. 35. v. 5. c. 61. v. 1. Et cap. 26. v. 19.* Quia itaque
Baptista discipulos suos mittit ad Christum, Christus autem ad
Scripturas, utique in controversiis religionis Scriptura perpetuo
consulenda erit, quid Christus, quem altissimus Pater audit
vult, nobis in ea respondeat. Accedit gravissima sententia Chri-
sti, *Ioh. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas, quia in illis vitam æternam habetis,*
& *illa sunt, quæ testantur de me.* Etsi autem hæc Sole meridiano
sint clariora, tamen conjurati Papæ in colloquio Ratisbonensi au-
daçter evomere non sunt veriti, iudicem generalem, legitimum
ordinarium omnium controversiarum, quæcunque possint ori-
ri in negotio religionis, esse Pontificem Romanum, sive solus de-
finiat aliquid, sive cum Concilio generali. Hunc iudicem semper
esse infallibilem, quando ex cathedra definit, quòd Pontifex nulli er-
rori obnoxius *pag. 35. 142. 208.* Immò quod magis mirandum,
eò impudentiæ processit Esavviticus Spiritus, ut in defectu alio-
rum argumentorum hoc præsens Evangelium, ex quo nos contra-
rium deduximus, in suam sententiam torquere conatus sit, in quo
præcipuè se ostentant *Grodicius & Barescius.* Rationes pro se ad-
ducunt hæc. 1. quia in propria persona à discipulis interrogatus Christus,
in propria persona non respondit, sed ad ordinarium Doctorem eos remisit.
2. quia Christus Scripturam quidem, sed non locum citavit, ne discipuli eam
legerent aut interpretarentur. Et hinc volunt colligere, non im-
mediatè ex verbis Christi seu Scripturis, sed ab harum ordinariis
interpretibus (quorum summum caput est Pontifex Romanus)
omnium controversiarum decisionem petendam esse, adeò ut licet
tum sit

tum sit cuius pio Christiano & Catholico in omni religionis questione am-
 bigere, quamdiu de Ecclesia certa definitione non constat, ut loquitur Bart-
 scius pag. 250. Resp. Committit Jesuita fallaciam *παρὰ τὸ μὴ*
ἀντιῶν ὡς ἀντιῶν. Non remittit Salvator discipulos ad Johannem,
 ut ipse in hoc religionis negotio, propria autoritate & ad placitū,
 juxta praxin Papæ Romani, aliquid simpliciter vel affirmet vel ne-
 get, sed suppeditat ipsi certam materiam, nempe Scripturæ dicta,
 & certum canonem ac metam præfigit, personam videlicet &
 officium Messia, ad quæ ista omnia pertinebant. Deinde non est
ἀντιῶν verum, Christum in propria persona discipulis non respon-
 disse. Quid enim sibi volunt ista verba Christi in Evangelio:
Quæ auditis & videtis, ut videlicet Johanni renuncient non tantum
 miracula, quæ in oculos incurrebant, verum imprimis salutarem
 doctrinam, quam de Christo audierant, quæque sine dubio signi-
 ficationem, finem & usum miraculorum, & verum Messia of-
 ficiū declaravit. Hinc primo loco dicit, *quæ auditis*, postea, *quæ*
videtis. Tertiò quoniam imò etiam alibi Christus in propria persona
 respondit, & non ad ordinarios Doctores, errantes ablegavit, sed
 ipse ex Scripturis definitivam sententiam desumpsit, ut *Matth. 5. v.*
20. 21. 27. cap. 16. v. 6. cap. 22. v. 31. & 43. Quartò Christum, eo quod
 loca Scripturæ non citavit, Johannis discipulos à Scripturarum
 lectione arcere voluisse, vana ac inutilis glossa est contra Christi in-
 tentionem & mentem efficta *Iohan. 5. v. 39.* Satis erat viam ad Pro-
 phetas stravisse, non opus fuit singula eorum nomina & Scripto-
 rum capita recensere. Postremò quid per Ecclesiam intelligit
 Bartscius, cujus decretum in omnibus controversiis expectan-
 dum censet, non potest esse obscurum, nempe Ecclesiam Roma-
 nã, in qua caput summum non Christus, sed Paulus V. vel Pontifex
 ali⁹. At quomodo is generalis judex, qui hæresin in pectore fovere
 & de ea suspectus esse potest? quomodo legitimus & ordinarius
 qui jus suum judicandi nunquam demonstrare valuit? Quomodo
 infallibilis, qui immediatam perpetuamque Spiritus S. assisten-
 tiam non habet, cum in interpretatione Scripturæ hallucinari pos-
 sit, teste *Alphons. lib. 1. contra Hæres. c. 4.* & actu ipso non semel errave-
 rit. Neque enim curat vel Scripturam, vel Concilia, vel Sanctos
 Patres. Hinc Calixtus Papa statuit esse omninò necessarium,
 ut quemadmodum Dei Filius venit, ut faciat voluntatem Patris
 sui,

*Papa judex
 in controversiis religio-
 nis esse non
 quit.*



tui, ita omnes Episcopi etiam in Concilio congregati impleant
voluntatem Ecclesie Romanæ. *distinct. 12. c. 1. Non decet.* Legatur
Reverend. & Clariss: D. D. Meisnerus, Præceptor & fautor meus sum-
mo observantiae cultu æternum prosequendus in *Demolitione Mu-
ror. Babyl. Roman. th. 37. 97. & 101.*

Quæst. II. *An bona opera in hora mortis
jactanda?*

Hoc ex verbis illis Evangelii: *Renunciate quæ audistis & vi-
distis, extruit Costerus pag. 27. Conc. 2. Quando, inquit, Angeli in hora
mortis venient ad accersendam animam, nosq; his verbis alloquentur & in-
terrogabunt: In cælo quidem pulcherrimum Palatium paratum, & Nobi-
bilis quædam corona preparata, Es tu, qui eam accipere debes, aut alius in
locum tuum veniet? Certè illi non verbis placabuntur, tu opera ostendere de-
bes & respondere: Renunciate, quæ audistis & vidistis, hæc sunt totius vite
meæ opera, hæc verba, videte num etiã coronam illam promeruerint. At quid
gloriaberis miser homo, qui pulvis es & cinis Genes. 18. v. 27. Non
sanè gloriatione de operib. Costere, neque nudis verbis, sed fide in
Christum Jesum totum negotium transigendum erit. Pauperi-
bus enim Spiritu, contritis corde & peccata sua agnoscentibus
regnum cælorum annunciat, non opinione suâ divitibus & de
bonis suis operibus gloriantibus, ut ex præsentis Evangelio satis
patet. Deinde & omnia nostra opera sunt manca & imperfecta,
ac in iudicio Dei minimè consistere queunt, siquidem quotidie
orare cogimur: *Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. v. 12.* Et cum
Propheta David: *ô Domine ne intres in iudicium cum servo tuo, non enim
esset coram te justus ullus vivens Psal. 143. v. 2. Esa. 64. v. 6.* Imperfecta
autem opera, non modò nihil merentur, sed etiam in iudicio Dei
damnantur, juxta illud: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus le-
gû hujus, nec eos opere perficit Deuter. 27. v. 26.* Unde & piè D. Bernhar-
dus *serm. 73. super. Cantic: Si iniquitates, ait, observaverit etiam electorum
quis sustinebit? astra non sunt munda in conspectu ejus, & in Angelis suis re-
perit pravitatem: Audi deniq; sanctum & electum quid dicat Deo: Tu re-
misisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore
oportuno. Opus itaq; habent & Sancti pro peccatis orare, ut de misericordia
salvi fiant propriae justitiæ non fidentes: Omnes enim peccaverunt & egent
miseri**

*Opera ho-
minum im-
perfecta.*

misericiordiã Dei. Immo quicquid adhuc boni operantur fideles, non
 est ex illis, sed à Deo per Spiritum sanctum in illis operante. 1. Cor.
 4. v. 7. Philip. 2. v. 13. Porro omnis gloriatio operum expressè est
 prohibita 1. Corinth. 1. v. 28: *Ea quæ ignobilia sunt in mundo & pro ni-*
hilo habitæ elegit Deus, ut ne gloriatur ulla caro in conspectu ejus, sicut scri-
ptum est: qui gloriatur, in Domino gloriatur. Et Luc. 17. v. 10. ipse Salva-
 tor noster ait: *Vos, cum feceritis omnia, quæ mandata sunt vobis, dicite:*
Servi inutiles sumus. Cæterum vana ista in hora mortis operum ja-
 ctantia propterea etiam vitanda erit, quia etiam sanctissimi quiq;
 cum Apostolo Paulo fateri necessum habent, *se esse imperfectos Phil.*
3. v. 12. in carne sua non habitare bonum Roman. 7. v. 18. & cum Johan-
 ne: *Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in*
nobis non est 1. Iohan. 1. vers. 8. Ulterius: Si nostra justificatio coram
 Deo non est ex operibus, sed per solam fidem in meritum Christi,
 utique nulla erit ista in agone mortis operum ostentatio. At ve-
 rum prius Rom. 3. v. 20. & seqq. c. 4. v. 2. & 5. Gal. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. 9.
 Tit. 3. v. 5. Ergò & posterius. Quamvis igitur bona opera, tanquam
 effectum & fructum veræ fidei & novæ obedientiæ necessario
 consequentem etiam in nostris Ecclesiis urgemus, siquidem veræ
 fides, sine qua impossibile est salvari, si non *εργατικὸς* & effectus
 externo, tamen *παθητικὸς, δυνάμεις* & affectu interno charitatem
 semper conjunctam habet, inde tamen inferre non licet, aliquo-
 modo illa coronam aut nostram salutem coram Deo promereri, vel ut Co-
 sterus p. 28. loquitur, illis nos Cælum lucrari posse. Ubi etiam obiter
 notandum temerarium Th. Stapletoni facinus, qui in Prompt. moral. *Stapletoni*
 super hoc Evangelium, Lutherum scandalum, immò insaniam scandali *audax effa-*
 passum esse dicit, quod statuit, justitiam Dei in Evangelio esse, qua sumus *tum.*
 justi per fidem, credendo solum in Christum, & ejus justitiam nobis imputa-
 ram apprehendendo per fidem. Quæ tamen Lutheri sententia ex præce-
 dentibus contra Jesuitam & ejus meritum operum satis stabili-
 tur, ita ut plura ex Scripturis adducere minimè sit necessum. Lon-
 gè ergò rectius scripsit, quamvis & ipse homo Pontificius Pelbartus
 de Themessvar sermon. 2. in hanc Domin: *Quia sine fide impossibile est*
placere Deo, & quia per solam fidem in Christum habetur beatitudo cæle-
stis, ideo Christus dicit, Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Hæc
 ille.

Quæst.

Quæst. III. An à Lutheranis justè exigantur
miracula?

2
Magno id zelo & clamore agunt Pontificii scriptores, inter quos iterum non postremus Francisc. Costerus qui in conc. pag. 25. & 26. miracula infallibilem tesseram statuit immediatè vocati à Deo, & addit, Nanquam ullos notabiles reformatores Deum in Ecclesiam mittere solere, ad aliquam mutationem in modo vivendi faciendam absq; miraculis. Proinde ab istis certum testimonium suæ cõmissionis postulandum esse, ad quod Scriptura non sufficit, sed clariora testimonia esse afferenda, nempe miracula. Huic subscribit Stanislaus Grodicius, & idè, ait, Christum discipulos non ablegasse ad Iohannis vocem, sed miracula edidisse. Conc. 2. Suffragatur quoq; Bartscius pag. 247. statuens, miraculorum testimonio nullo unquam seculo penitus caruisse Ecclesiam, & si unquam alias, hoc tempore maxmè clarere, contra ministros Evangelicos penitus omnium esse semper expertes. Resp. I. Miracula sua, quæ crepant Papistæ, pleraq; sunt efficta & nunquam contigerunt, qualia sunt plura quæ ex India, & remotissimis terræ partibus hodiè afferuntur. Nonnulla contigerunt quidem, sed vel apparenter tantum, ut falsam speciem arte & fraude Sacrificulorum ita præparatam præ se ferrent, vel etiam contigerunt vere & realiter, sed per illusionem Diaboli. Quo pertinent expulsionès Diabolorum, sanationès ægrotorum, claudorum &c. de quibus omnibus vide fusius differentem Rev. & Clar. Dn. D. Meisnerum in Antilefio pag. 212. & seqq. II. Falsis Prophetis & Doctoribus Deus nonnunquam donum miraculorum concedit, non ut falsa religio inde confirmetur, sed ut pii probentur juxta expressa dicta Deuter. 13. v. 1. & seqq. Matth. 24. v. 24: Huc referri etiam potest exemplum Magorum Exod. 7. Bilhami, Num. 24. unde Bellarminus ipse fateri cogitur lib. 1. de gratia c. 10. donum miraculorum posse à vera doctrina separari. Subscribit Salmeron. tom. 4. part. 2. pag. 260. Dæmon, inquit, nolentibus claritatem veritatis recipere, falsa miracula adhibere solet ad mendacia confirmanda. III. Licet magnum inter vera ac falsa miracula discrimen esse non diffiteamur, tamen externa specie sæpissimè conveniunt, ut nisi ex doctrina & verbo Dei probentur, discerni haud queant, iterum concedente Bellarmino lib. 4. de Eccles. cap. 14. Et Bartscio ipso, qui tamen addit, illam discretionem à Doctoribus petendam esse pag. 247. Prius ergò doctrina

Miracula
in Papatu
qualia.

Falsi Pro-
pheta etiam
miracula
adunt.

doctrina fidei è Scriptura demonstranda est, antequam jactentur
 vel poscantur miracula. Hinc Christus in hodierno Evangelio
 non tantùm miracula in oculos incurrentia edit, sed etiam Evan-
 gelium pauperibus annunciat, & Johanni renunciare jubet, non
 tantùm visa, sed etiã audita. Ibi ergò vera est Ecclesia, ubi non tan-
 tùm videntur miracula, sed & sonat vera doctrina, & audiuntur cõ-
 solationes Evangelicæ, quæ in Papatu fermè prorsus expirant.
 IV. Judaicũ & Pharisaicum, imo incredulitatis nota est miracula
 & signa poscere, vid. dicta *Matth. 12. v. 38. c. 16. v. 1. Marc. 8. v. 11.*
Luc. 11. v. 29. Ioh. 2. v. 18. cap. 4. v. 48. cap. 6. v. 30. 1. Cor. 1. v. 21. V. Lu-
 theri religio non fuit nova, sed vetus illa à Prophetis & Apostolis
 tradita, & ab iisdem satis per miracula confirmata, adeoq; novis
 miraculis non fuit opus. *Nam miracula fuerunt quidem necessaria,*
priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet. Quisquis verò adhuc prodi-
gia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente
non credit, ut loquitur August. lib. 22. de Civ. Dei c. 8. Et ubi in Scri-
 ptura ullum extat testimonium, Deum ultimis temporibus per
 miracula velle suam doctrinam propagare? Quin potius hæc
 PseudoProphetarũ & AntiChristi fore signa prædicat *Matth. 24.*
v. 24. 2. Thess. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 13. Nec probari potest Prophetas
 omnes miraculis claruisse. Iohannes Baptista erat plus quam Pro-
 pheta, & tamen de eo scriptum est, quod nullum signum ediderit
Iohan. 10. v. 41. At contra hoc objicit *Grodicius, non fecisse quidem Io-*
hannem miracula talia, qualia Christus fecit, ipsum tamen aliàs, & ejus
ortum fuisse merum miraculum. Quæ in Nativitate Iohannis conti-
 gerunt propriè miracula ad doctrinæ confirmationem directã,
 non sunt dicenda, quemadmodum rursus ipse *Salmeron* fateretur,
 dum ait: *Laudatur Iohannes à Christo, qui miracula nulla edidit.* Et post
 pauca: *Iohannes, ut & alii permulti Prophetæ signa non ediderunt.* *Tom. 4.*
Evang. Histor. part. 2. p. 264. & 271. Ac quæstio est hic de iis, non
 quæ peracta sunt circa personas, sed quæ fiunt à personis ex plena
 voluntate agentibus, & suo modo ad miraculosam actionem con-
 currentibus. VI. Quod si tamen adeò rigidè in suo postulato per-
 sistant Pontificii, miraculi loco illis opponimus, Lutheri tam au-
 gustum, admirandum & singulare Reformationis opus, quo
 multi è claustris dæmones sunt ejecti, spiritualiter cœci rursus il-
 luminati, claudicantes in fide sanati, enervati & papalium tradi-
 tionum

*νενοφύελορ
 Grodicii.*

*Reformatio
 Lutheri est
 loco mira-
 culi.*

D

tionum



tionum pondere planè emortui læto Evangelii nuntio vivificati ac sub tyrannide Papæ captivi detenti fortiter liberati, ut sic populus, qui in tenebris sederat, lucem videret splendidissimam & hilari voce exclamaret: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Quæst. IV. *An ex miraculis Christi ejus divinitas demonstrari possit?*

Cum Iesus Christus Redemptor noster in mundum venerit, ut opera Satanæ destrueret, Satan vicissim Christi personam, & præcipuè ejus divinitatem per multos hæreticos blasphemè impugnavit, & adhuc hodiè impugnat. Quis enim tam hebes, tam ab omni ratione & veritate averfus, ut ex tot illustribus & planè divinis ac stupendis Christi signis & prodigiis, non etiam divinam ejus naturam agnoscat? Attamen hodierni Photiniani, ne quicquam Christo, præterquam quod nudò homini convenire potest, tribuant, negativam impiè defendere satagunt, & quidem ex hoc inprimis fundamento, quod Christus non propria, sed Dei Patris virtute, (quæ ipsi pro obedientia Patri præstita collata erat) omnia ista fecerit miracula, ut scribit. Ostorod. in suis Institut. German. p. 79. & 80. Verum enimverò falsissima est Ostorodi probationis loco adducta ratio, undè & conclusionem, quam inde deducit, talem esse oportet. Sic enim argumentor: Quicumq; pro suo arbitrio, quandoq; vult, & cœlestia loquitur & divina edit miracula ad suam gloriam, is propriâ non alienâ virtute id facit. Nam & Prophetæ quidem locuti sunt verbum Dei, non autem pro arbitrio, sed cum afflarentur à Spiritu Dei. Vis itidem edendi miracula, non fuit ipsorum potestate, sed in Dei voluntate posita, nec deniq; fecerunt ista ad honorem proprium, sed ad gloriam Patris. Atqui Christus pro suo arbitrio, quandoq; voluit & cœlestia locutus est, & divina miracula exhibuit ad suam gloriam, Quod præsens Evangelium clarè innuit, Confer locum Luc. 24. v. 19. Iohan. 1. v. 14. cap. 2. v. 11. cap. 5. v. 21. & seqq. Et cap. 14. v. 11. Act. 2. v. 22. &c. Ergò Christus propria virtute divina edidit miracula, & per consequens est verus Deus. 2. Si Christus non propria, sed ex gratia donata virtute edidisset miracula, sequeretur nullum esse discrimen inter miracula Christi & Apostolorum: At consequens est absurdum. E. & antecedens. Major constat. Minorem probo: Apostoli enim virtute.

Discrimen
inter mira-
cula Christi
& Prophe-
tarum seu
Apostolorum.

virtute Christi & à Christo donata fecerunt miracula, quemadmodum hoc ipsi palàm fatentur *Actor. 3. v. 12.* & alibi. At Christus virtute quidem à Patre accepta, sed in æterna sui generatione, sicq; virtute sibi naturali & propria, quod ulterius sic demonstrat: *Matth. 11. v. 29.* dicitur, *Christum per Spiritum Dei eijcere Dæmonia.* Jam verò *Spiritus Dei, Spiritus est proprius Christi Rom. 8. v. 9.* Ergò per suum Spiritum & per suam propriam divinam virtutem ac potentiam, quæ nihil aliud est, quam ipsa essentia divina, miracula effecit Christus. III. Quicumq; omnia ista, quæ Deus Pater facit æquali cum ipso virtute & potentia producit opera, is non eodem modo, quo Prophetæ & Apostoli edit miracula. Atqui Christus omnia ista, quæ Pater facit, *ὁμοίως*, æquali cum ipso virtute & potentia producit opera *1. Iohan. 5. v. 19.* hinc Christus opera fecisse dicitur *ἔδεις ἄλλος πειθίξει*, quæ nemo alius fecit *Iohan. 15. v. 24.* & in miraculosis sanationibus ex seipso vim prodiisse ait *Marc. 5. v. 30. Luc. 8. v. 26.* Apostoli verò omnia sua miracula præstitere in nomine Iesu, ipsiq; soli istam virtutem tanquam auctori ascribere, ut *Matth. 10. v. 1. Luc. 9. v. 1. Act. 3. v. 6. & 16. cap. 4. v. 10. cap. 9. v. 34. cap. 16. v. 18.* E. Christus alio modo miracula operatus est, quam vel Prophetæ vel Apostoli, nempe virtute propria divina. Postremò deniq; si finis principalis omnium miraculorum Christi fuit, ut pro vero & naturali filio Dei agnosceretur, utiq; Christus etiam divina propria virtute ea edidit. At verum prius, ut liquet ex dicto *Iohan. 20. v. 34*: *Multa alia signa edidit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum illum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Sed qualis ille Filius Dei? nempe qualem Apostolus Thomas eodem capite *v. 28.* confessus est, qui sit *Dominus noster & Deus noster*, Iehovah Elohenu. Ergò & posterius verum erit. Concludimus itaq; memorabili sententia Damasceni, quâ olim contra Arianos usus est: *ἐκ τῶν θαυμάτων τῆς αὐτῆς ἑστία ὄντα τῶ πατρὶ τὸν θεὸν ἐγνώμεν: ἐνεργεῖα δὲ θεῶν ἰσχυράν τὰ θαύματα.*

Finis principalis omnium miraculorum Christi quæ sit.

Quæst. V. An etiam divites & potentes evangelizentur?

Nondum ineptire cessat Iesuita *Bartscius*, & ut doctrinam, quam nos amplectimur Evangelicam, quovis modo suspectam reddat,



reddat, ita ad verba Christi, *pauperes evangelizantur*, infert: *Novi Evangelismi* (intelligens Reformationem religionis à Luthero feliciter transactam, cui aliquot Principes subscripserunt) *contraria fuit propagatio à Nobilibus primam, ut adhuc Potentes hæresis primò invadit &c.* Vide ipsum pag. 255. 256. Ar nugæ hæ sunt, inscitia & malitia soboles. Christi enim sententia non excludit Nobiles, Divites & Potentes, siquidem ea respexit ad vaticinium *Esa. 61. v. 1.* ubi vocabulum □ invenitur, quod non nobilibus & divitibus, qui & ipsi humiles, mansueti, & Spiritu pauperes esse possunt, sed tantum superbis & fastuosis hominib. opponitur, ut supra probatum dedimus th. 22.

*Divites opū
possunt esse
pauperes
Spiritu.*

Fideles Appellat a. Christus omnes fideles, pauperes & *1.* quidem ne omnes cur à Christo vocentur pauperes, propter miseras & afflictiones, quas credentes in hac vita sustinere coguntur, arbitremur nos exclusos esse à regno cælorum.

2. ne externam felicitatem nobis imaginemur in Evangelio, ne deficiamus, si calamitas fuerit subsequuta. *3.* ut opulentiores suas divitias pro nihilo habeant, neque cor suum in iis ponant, si velint Christo rectè inservire, & aliquando æterna beatitudine frui. *Chemnit. in Harm.* Adde loca *Psal. 62. v. 11. 1. Tim. 6. v. 17.* Cæterum annon divites erant primitiæ Ecclesiæ in *N.T.* ex Gentilismo *Magi*, qui apertis Thesauris magnifica Christo obtulerunt munera, aurum, thus & myrrham *Matth. 2. v. 12?* Vide exempla alia *Genes. 13. v. 7. Luc. 19. v. 2. &c.* Annon sat potens erat Centurio ille *Matth. 8. & Luc. 7.* de quo cōmemoratur, quod multos sub se haberit milites quodvis ejus mandatum exequentes? Hunc tu Bartsci, à læto Evangelii nuncio excludis. Sed quid de ipso Redemptor noster Christus? *Amen dico vobis, ne in Israël quidem tantam fidem inveni.* Simile quid legitur in Actis de Centurione *Cornelio cap. 10.* Et cur ipsi Pontificii tam sæpe de tot tantisque Imperatoribus & Regibus gloriantur, qui in superstitione & idololatria Papæ contra miserum populum conspirant, ita ut quidam illorum scopticè dixerit: nostros pisces suo reti trahere non grandes cætos & balænas, sed minutos tantum pisciculos. Quicumque ita vel inopia vel aliis calamitatibus pressi, vel etiam peccatorum sensu tacti & extra omnem superbiam positi suam internam miseriam agnoscunt, & ad Dei misericordiam ac meritum Christi unicè confugiunt, hos omnes Christus hinc per mansuetos & pau-

& pauperes intelligit, ex quocunque etiam genere alii ipsi fuerint, nulla siquidem est *ἡρωπολιψία* apud Deum *Roman. 2.v.11.* *Ephes. 6.v.9. Coloss. 3.v.25.* Nostram hanc sententiam præter alios etiam scite explicat D. Hieronymus, cujus verba refert Barradius in Harm. Evang. nobiscum idem propugnando: *Pauperes evangelizantur, vel pauperes spiritu: vel certe operibus pauperes. Ut nulla inter nobiles & ignobiles, inter divites & egenos in prædicatione distantia sit. Hac magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem: quando omnis apud Deum, qui salvari potest, equalis est &c.* Hæc Hieronymus. Ad stipulatur Salmeron tom. 4. tr. 2. pag. 261. Non soli, inquit, Apostoli lætum accipiebant Evangelii nuncium, sed etiam permulti magni Principes literati & opulenti, ut Theophil. Antioch. Lazarus, Nicodemus, Gamaliel, idq; ad sanguinem usq; servarunt. Sed de hac re satis.

Pars III. De Johannis ENCOMIO.

XXV. Benè confecta fuisse à Jesu, quæ ad discipulos Johannis spectabant, jam vidimus. Signis enim atque miraculis illico factis confirmati redierunt; Restabat autem, ut multitudinem quoque ad meliora reduceret, quod parte hac tertia præstitit Salvator, suum de Johanne honorificum edendo testimonium. Ad hoc verò antequam descendat Evangelista, attingit paucis testimonii istius tempus & occasionem, quæ fuit recens Johannis Baptistæ adstante universo populo facta mentio à discipulis ab ipso cum certa quæstione ad Jesum missis. Id quod indicatur hisce verbis: *Illis autem abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Johanne &c. v. 7.*

Qua occasione Christus Johannem laudavit.

XXVI. Sed quare discipulis præsentibus non est locutus de Johanne? Respondet Euthymius: *Ne ei adulari videretur.* Idem scribit Theophylact. idem Chrysost. *cepit dicere Christus discipulis abeuntibus: ne multitudo putaret assentatiunculis gratiam Johannis Christum colligere.* Potest huic rationi addi & alia, videlicet, ne Christus discipulis ansam præberet majora de Baptista magistro suo sentiendi, quam par erat, quia jam antea nimis altæ cogitationes de Johanne medullitus iis infixæ erant, quæ vix evelli potuerunt.

Cur non in præsentia discipulorū Johannis.

Finis & scopus laudationis.

XXVII. Testimonium ipsum quod attinet, totum illud eò dirigebat Servator, ut si ex legatione illa dubitatio aliqua de certitudine testimonii Johannis quoad Christum in animis adstantium orta esset, scrupulus iste tolleretur, certoque omnes crederent, ipsum esse Messiam Patribus promissum, ab iisdem expectatum & jam in carnem missum. Sicut ergò Baptista discipulos suos certos reddi voluit, quod Jesus esset verus Messias Patribus promissus, ita Jesus quoque turbis innotescere voluit magnitudinem & constantiam præcursoris sui.

Laus Johannis triplex.

I. Johannis constantia.

XXIIX Laus verò Johannis potissimum triplex est. Prima petitur ab eisdem in doctrina constantia. II. à vita duritia. III. à munere Prophetici præstantia. Constantiam Johannis commendat Jesus v. 7. *Quid existis* (quâ voce sine dubio utitur Salvator, ut alludat ad illud *Matth. 3. v. 5. Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Iordanem Et Luc. 3. v. 7 Dicebat ergò ad turbas que exibat, ut baptizarentur ab ipso. in desertum* (sc. Judææ, in quo Johannes resipiscentibus, & in Christum credentibus prædicaret regnum cælorum, ut *Matth. 3. v. 1. legitur) ut videretis arundinem vento agitatam?* Per arundinem aliàs significatur quarumlibet rerum reciprocatio & inconstantia, ut *4 Reg. 14. v. 15.* hoc loco verò hominum inconstantium & levium ad quamlibet occasionem vacillationem denotat, quasi Christus dicat: Ne existimetis Iohannem adeò esse levem & inconstantem, ut de testimonio, quod mihi apud Iordanem dedit, nunc demùm dubitare incipiat. Nam quod per discipulos à me quæsit, id totum eò spectabat, ut verbis factisque meis ejus discipuli erudirentur. Ipse sanè adhuc constans in sua confessione perseverat. Et cum antea ipsius Baptisma tantà cum aviditate susceperitis, necesse est vos illum non pro homine instar arundinis ad quemvis venti flatum mobili, sed constante veritatis Doctore agnovisse, idem nunc sentite & ob quæstionem, quam in discipulorum suorum gratiam mihi proposuit, nihil quicquam sinistri de eo suspicemini.

II. In vitam & amictu duritia.

XXIX. Severa & ardua vita laudatur nunc secundo loco in Baptista, ut pateat ejus de Christo testimonium, quod ad Iordanem de ipso dederat, non ex assentatione quadam, sed ex animo candido, minimeq; fucato, & ab omni mollitie & blanditia alieno profectum esse, ac describitur *vers. 8. Sed quid existis videre? hominem*

ὁ μαλακός

ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφισμένον? *mollibus vestibus* (seu mollicina, qua voce utitur Mœvius in Epidico, & notatur vestis à mollitie ita dicta, ut habet Nonius) *amicum*? Ubi Præpositio ἐκ ex Hebraismo redundat. Vulgata omisso vocabulo ἱματίου simpliciter habet, *hominem mollibus vestitum, id est, amicum seculi, qui fruitur bonis ejus*, sicut exponit Autor imperfecti operis. Homil. 27.

XXX. Pergit Christus: ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακά (subintellige ἱματία ex membro præcedente) φορέντες, qui mollia gestant. Vulgata, qui mollibus vestiuntur, quasi esset, οἱ μαλακοῖς ἠμφισμένοι, in domibus regum sunt. Lucas nominat vestitū ἐνδοξόν, id est, quo illustres & magnificentissimi in Regis Ahasveri aula vocantur ἐνδοξοί. Præterea adhuc notabilem aliam hic interfert vocem, quæ scopum Christi planiorem reddit, dicit enim: καὶ οἱ ἐν τρυφῇ ὑπάρχοντες, qui in luxu vivunt, in Regiis Palatiis esse.

XXXI. Sensus ergo verborum Christi est: Si ideò exivistis in desertum ad Johannem, ut videretis ibi hominem purpura, aut fericis aliisque splendidis vestimentis superbientem, ac in mundi deliciis viventem, qui & mollia ac blanda sibi dici exoptet, & rursum aliis blandiatur, multum falsi estis. Hujusmodi namq; homines non in deserto, sed in inclytis aulis Regum ac Principum videntur. Johannes econtra in locis ab hominum frequentia semotis se continuit, in cedens vili admodum & abjecto indumenti genere, contentus quoq; vili & tenui alimento, locustis videlicet & melle sylvestri; proinde nec quicquam opus habuit aliquid in aliorum gratiam vel dicere vel facere, quin potius semper sine ullo respectu personarum increpavit malos, ita ut etiam Tetrarchæ Herodi non pepercerit. *Incirco qui gestis suis tantam constantiam ostendit, quomodo potest in suspicionem incidere levitatis, dicente Chrysosto.* Homil. 38. in Matth.

XXXII. Muneris dignitas & præstantia in Johanne egregie depingitur, facta ipsius collatione cum Prophetis superioris aetatis tanquam minoribus v. 9: *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis.* Quibus verbis confirmat præcedentem sententiam, videlicet rectè Johannem quaesitum esse ut Prophetam; quod verò sequitur: καὶ πλεονότερον προφήτου & *plus quam Prophetam*, (subaudi, vidistis, cum vidistis Johannem,) est incrementum laudis prioris.

III.

In mure
Prophético
excellentiā.

ris. Erasmus reddit, *Excellentiorem Prophetam*, ira ut vox *ἁγιωτέρα* hic ipsi non sit Adverbium, sed Nomen, quod & nobis arri det, nā & Syrus Paraphrastes similiter interpretatur. Sensus tamen, quocunque modo vertatur, idem manet, nempe Iohannem ratione ministerii sui antecellere Mosen & omnes Prophetas. Per *ἁγιωτέρα* enim, *ἁγιωτέρα* & *ἁγιωτέρα*, Græci solent vertere Hebraum *קדמון*, quod præstantiam, excellentiam & prærogativam significat.

*Dictum
Malachia
3.6.1.*

XXXIII. Hoc verò Iohannis encomium alio in super honorifico titulo Salvator cumulat, & simul prius Malachiaæ Prophetæ testimonio confirmat v. 10. *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit* (in Hebræo apud Malachiam ponitur *אני אשלח* à Rad. *שלח* quod in Pihel significat, Expedivit, impedimenta videlicet & obstacula removendo ut iter sit apertum) *viam tuam ante te.* In Hebræo *אני אשלח* ante me. Ex quo liquet, Prophetam introducere Christum loquentem de seipso, Evangelistas verò Deum Patrem de Christo, ut sic & Pater & filius Iohannem miserint. Unde porrò infertur Patris & filii in essentia identitas & unitas, & contra blasphemus NeoArrianos filii divinitas. *Fuit enim Iohannes missus à Deo, Iohan. 1. v. 6.*

*Christusne
an Matth.
locum Ma-
lachia cita-
verit.*

XXXIV. Sed quæritur, Christusne an Matthæus hoc dictum Malachiaæ citaverit? Respondet Salmeron: *Hæc verba Christus protulit non Matthæus, qui tantum refert, Christum illa dixisse, quia afferuntur à Luca, qui ex se non solet allegare testimonia Prophetarum, quia ad Gentes scribebat, sicut & alii Evangelistæ duo ut plurimum faciunt: secus Matthæus quia ad Iudæos, ad quos spectabant Scriptura.*

*Iohannes
quare Pro-
pheta.*

XXXV. Sic itaq; per elegantissimam *ἁγιωτέρα* vocat Dominus Iohannem Baptistam, primò Prophetam, mox amplius quid quàm Prophetam, tertio Angelum, quarto Eliam &c. de quo postremo & aliis nominibus, quibus Salvator Iohannem exornat, alibi erit differendi locus. Propheta appellatur 1. quia præcessit Messiam in Spiritu & virtute Prophetæ Eliæ *Luc. 1. v. 17.* 2. quia instar Prophetæ futura revelabat *Matth. 3. v. 11: Venturus est alius post me, qui fortior me erit, cuius non sum dignus calceamenta portare &c.* 3. quia Propheticam vitam transigebat, & multa divina mysteria per Spiritum sibi donatum sciebat.

*Curreliquis
præstantior
Propheta.*

XXXVI. At illa dignitas, qua & major & excellentior reliquis Prophetis prædicatur, non consistit in ipsa substantia doctrinae de

na de pœnitentia, peccatorum remissione &c. Illa namq; eadem
semper sonuit in Ecclesia, sed in annunciationis & agnitionis mo-
do, sive in meliori temporis circumstantia, siquidem cum omnes
ante ipsum in venturum Messiam respexerint, ejusq; diem quam-
vis multis ardentissimis votis expetitur, oculis tamen corpora-
libus videre non potuerint, sed repromissiones à longè aspexer-
int, ut scribitur *Hebr. 1. v. 13.* atq; sic illorum omnium sententia
fuerit: *Videbo eum, sed non nunc, intuebor eum, sed non propè, Num. 24.*
v. 17; Iohannes non tantum de eo vaticinatus est, sed & jam in
carne exhibitum oculis de facie ad faciem vidit, auribus audivit,
& digitis monstravit: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi,*
Iohan. 1. v. 29.

XXXVII. Unde quemadmodum majore dignitate hi sunt, qui proxi-
mè regium vehiculum equitant; sic etiam Iohannes proximè ipsius adventum
præcedens majore gratia fulsit, assertente Chrysoft. homil. 38. Et cum Pro-
phetia in cognitione consistat, & perfectius cognoscatur cum sensu & intelle-
ctu, quam cum solo intellectu apprehenditur, idè visio ista ad perfectionem
quandam pertinebat, sicut Christus dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos
videtis, ait Salmeron in Histor. Evang. Tom. 4. part. 2. pag. 269.*

XXXIIX. Deinde etiam ideo major censendus est quàm ullus
alius Propheta, quod Messiam propriâ manu baptizavit *Matth. 3.*
v. 13. Quas duas rationes breviter complexus est Hieronymus: *In eo,*
inquiens, Iohannes Prophetis cæteris major est, quod quem illi prædicave-
rant esse venturum, hic venisse digito demonstravit. Et quia ad privilegium
Prophetale, etiam Baptiste accessit præmium, ut Dominum suum baptiza-
ret &c.

XXXIX. Quin immò tanta erat præditus dignitate & emi-
nencia, ut reliqui Prophetæ de ipso ante aliquot secula vaticinari
non dubitaverint, quemadmodum locus ex Malachia & præterea
dictum *Esa. 40. v. 3.* ostendunt, Atq; sic etiam intelligitur, cur Iohannes
Iohannes se Prophetam esse negaverit *Iohan. 1. v. 21.* nimirum, quia ^{quomodo} ~~non~~ Propheta
non aliorum Prophetarum more de longè pòst venturo Messia in
carnem prænunciabat, sed jam præsentem divino spiritu indican-
te cognovit, & aliis demonstravit. Quanquam alio modo Chri-
stus, alio Baptista ipse se Prophetam esse neget. Christus ut majo-
rem, ipse ut se minorem indicaret, uterq; tamen eadem ratione,
quia non aliorum more Propheta erat.

E

XL, Vo.

Johannes
Angelus.

XL. Vocatur autem ibidem מַלְאָכִים, Græcè ἄγγελος, quia, verba sunt Euthymii, ἄγγελος dicitur nuncius, & Iohannes quæ sibi dicta erant de Christo, annuntiavit populo, vel etiam quasi angelicam degens vitam eò quod super terrena elevabatur ac cœlestia sapiebat. Non defuerunt tamen, ut testatur Cyrillus lib. 1. in Iohan. c. 17. quia ἄγγελος in Scriptura sapissimè pro Spiritu accipitur, qui Baptistam non vita & officio, sed natura Angelum arbitrati sunt. Sed unicuique dictum huic somnio alias futili opo fuisse satis est Iohan. 1. v. 6. Et erat HOMO missus à Deo, cui nomen Iohannes.

Omnes Veri
Ecclesie Do-
ctores Ange-
li.
Filius Dei
quoque in
Scriptura
Angelus vocatur.

XLI. Cæterum non tantum Iohannes, verum etiam alii Ecclesie Doctores passim in Scriptura Angeli vocantur, ut Esa. 33. v. 7. Malach. 2. v. 7. Gal. 4. v. 14. Apoc. 2. v. 1. &c. quin imò ipse Filius Dei Christus Jesus Angelus vocatur, ut Genes. 16. v. 7. dicitur מַלְאָכִים Angelus Domini seu potius Angelus Dominus, potest enim utroque modo exponi & Exod. 14. v. 19. Sic Esa. 63. v. 9. מַלְאָכִים Angelus faciei ejus scil. Iehovæ. Et in hoc ipso Malachiae dicto 1. v. 2. nominatur מַלְאָכִים Angelus fœderis.

XLII. Hæc autem Angeli appellatio, quam Filio Dei Scriptura assignat, non aliquam essentiam inæqualitatem inter Deum Patrem & Filium innuit, neque Christum spiritibus illis in usum Dei & hominum creatis annumerat; verum de officio Christi Iesu unici redemptoris nostri nos admonet, quod videlicet hæc persona ex cõmuni S. S. Trinitatis decreto legationem illam in se suscepit, quæ tum de vero Deo & Evangelii mysterio nos informaret Iohan. 1. v. 18. tum redemptionis nostræ opus carnem humanam assumendo, partiendo, moriendo & resurgendo perficeret Psal. 40. v. 8. Gal. 4. v. 4. tum denique perpetua custodia suam Ecclesiam adversus Satanæ impetum defenderet, Psal. 31. v. 4.

QVÆSTIONES EX TERTIA PARTE EVANGELII.

Quæst. I. An peregrinatio ad loca Sanctorum
sit cultus religiosus Deo gratus?

Ita sibi imaginantur cathedræ Romanæ apparitores, inter quos non postremus Iesuita Th. Stapletonus, hoc Paparum decretum duobus

duobus argumentorum generibus constabiliens, in *Prompt-Cathol.*
Domin. II. Advent. Unum desumit ex Scriptura, alterum ex ratione.
Scripturæ unicum adducit dictum, plura enim invenire haud po-
tuit, & quidem ex præsentis textu, ubi Servator dicit: *Quid existis*
in desertum videre? De hisce verbis audiamus ipsum discurrentem
Iesuitam, sic ille effatur: *Locus hic conveniens est tractandi de peregrina-*
tionem ad loca Sanctorum, vel de reverentia exhibenda Sanctis in hac vita,
seu Eremitis, seu Anachoretis, seu aliis religiosis. Nam Christus hoc loco pere-
grinationem quandam ipsorum Iudæorum ad videndum Iohannem in deserto
susceptam laudat, ipsumq; Iohannis propositum vitam in deserto Eremiticam
agentis magnis laudibus prosequitur. Ait enim *quid existis videre?* non
ait, *quem existis audire?* Et paulò post: *Sicuti sanctos vivos invisere,*
adire, revereri laudabile est, ita etiam eorum jam defunctorum monumenta,
memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari pium ac laudabile in Ecclesiâ
Christi Catholica semper existimatum est. Sed quid est γλάσκωμα objicere
simplicioribus ac destinato studio & consilio nebulas offundere si
hoc non est? Quæ enim per Deum immortalem consequentia?
Christus interrogat Judæos, cur ad Iohannem exierint in desertum.
E. laudat eos ob peregrinationem ad loca sanctorum susceptam.
Num omne interrogare est laudare, omne exire, peregrinari?
Committit etiam Stapletonus ἔλεγχον παρὰ σύνδεσιν καὶ διαίρεσιν, omittit
enim quæ in isto versiculo statim subjiciuntur: *arundinem vento*
agitaram? In quibus verbis laus Baptistæ per negationem contra-
rii vitii, inconstantia videlicet, consistit. Nec quicquam illa om-
nia ad laudem Judæorum faciunt ob susceptum iter in desertum,
neq; Christo tale quid propositum erat, quippe qui totus in laude
Iohannis hærebat. Cæterum Christus ipse hic verum modum
monstrat, quo Sanctos venerari liceat, non idololatricè invocan-
do, non vota eis nuncupando, non altaria & sacella extruendo, sed
non peregrinationes ad eorum ossa & reliquias suscipiendo, sed
præclara Spiritus S. dona, quibus Christo & Ecclesiæ inservierunt
in eis agnoscendo & prædicando, ac glorificando Deum, qui ejus-
modi homines fecit illustria & salutaria organa bonitatis & mise-
ricordiæ suæ. Ita quoque discipuli primitivæ Ecclesiæ glorifica-
bant Deum in Paulo, quod qui antea persecutus fuisset Ecclesiã,
nunc evangelizaret fidem, quam olim vastabat Galat. 1. v. 23. & 24.
Præterea profectiones ejusmodi ad loca Sanctorum multis modis

*in reprobate non
& laudare*

*Sancti qua
pacto hono-
randi.*

Peregrinatio superstitionas esse probatur. I. Quia nusquam in universa Scriptura ad loca san-
 ctorum me-
 ra supersti-
 tio.
 ullum de iis reperitur mandatum divinum. ἑλευθερωσαίκα verò o-
 mnis simpliciter est prohibita, & frustra Deus hominum manda-
 tis colitur, *Matth. 15. v. 9. Coloss. 2. v. 23.* Ac in præceptis Domini
 tantum ambulandum est, non in statutis Patrum, *Deut. 4. v. 2. c. 12.*
v. 5. Ezech. 20. v. 11. II. Quia benedictionis aut peculiaris gra-
 tiæ promissionem nullam à Deo habent. III. Quia nemo seipsum
 in vitæ castitatis vel fortunarum discrimen conijcere absq; urgen-
 te necessitate debet. *Nam qui amat periculum, peribit in eo, Eccles. 3.*
v. 26. At verò tales ἑλενωμοί, præsertim sceminæ temerè se in pericula
 præcipitant. IV. Quia Deus ubiq; locorum præsens est, Chri-
 stusq; fidelibus suam conversionem sine ullo loci alicujus respe-
 ctu promisit, *Matth. 18. v. 20. Et c. 28. v. ult.* Hinc Gregorius Nyssenus
in orat. contra hæc peregrinationes nobiscum concludit: Vos qui
timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate, localis enim mutatio,
ut Deus propior sit, non efficit; sed ubi fueris, ad te Deus veniet, siquidem ani-
mæ tuæ diversorium tale inveniatur, ut in te Dominus inhabitet, inambu-

Rationes
Stapletoni,
I, Ratio.

letq;. At de Scripturæ loco satis. Videamus & rationes, quibus Ie-
 suita suis persuadere conatur, Sanctorum loca esse adeunda. Pri-
 ma est; *Amor & charitas erga Deum & Sanctos singularis pios movet, ut*
quemadmodum ipsos, sic & ea, quæ ipsorum sunt, quæq; ad eos pertinent,
libenter videre, honoreq; debito libenter venerari cupiant. Resp. Aliud est
 Sanctos ut homines excellentes dum adhuc in vivis honorare &
 debitis laudibus extollere, aliud ipsos eorumq; supellectilem &
 frivola, vel etiam ossa ac vestimenta divino cultu afficere, & ne-
 scio quam Magicam & miraeulosam vim eis ascribere. Prius ipsi
 ut verbo Dei analogum urgemus, posterius ut impium & super-
 stitiosum damnamus, præsertim cum statutis istis hominum Pon-
 tificii affingant opinionem cultus & meriti, sicut & Tridentina
 Synodus decrevit, orationem reddi meliorem, digniorem & Deo
 acceptiorem, si fiat apud vel ante reliquias sanctorum, utpote
 quorum meritis opem impetremus, quæ verbo tamen Dei è dia-
 metro sunt contraria, *Matth. 15. v. 9. Coloss. 2. v. 22.* Præposterè itaq;
 Pontificii Apostolorum & aliorum Sanctorum ossa, corporis ha-
 bitum & decalvatum cranium exosculantur, ipsam verò capitis ha-
 altum, purum & integrum Spiritum in Scriptis & literis expres-
 sum non attédunt, ac sic instar vulpeculæ Æsopicæ elusæ à ciconia
 lambunt



lambunt vitreum vas, pulvem non attingunt. Altera causa est II. Ratio
juxta Jesuitam honor Dei, & Sanctorum, quos frequentibus miraculis & be-
neficiis Deus talibus in locis honorat. Iterum hoc repugnat Scripturae sa-
cræ. Omnis enim locus, in quo vera fide invocatur nomen Domi-
ni, ibi ipse temporalibus & spiritualibus suis beneficiis adest, ibi
est domus Dei & porta cœli, sicut de Bethel dicit Patriarcha Jacob
Genes. 28. v. 17. Et Salvator ipse severè prohibet publicas istas sup-
plicationum & precum ostentationes, ac jubet precaturos in sua
conclavia introire, & in abscondito Deum invocare Matth. 6. v. 6.
Sic Iohan. 4. κακοῦντιαν Samaritanorum increpat, qui in certum
Samarie montem ad puteum Jacobi confluxerant: Venit tempus,
inquiens, & jam est, ut neq; Hierosolymis, neq; hoc in monte sint adoraturi.
Et notandum hic, ratione creationis universam terram sanctam Locus unus
an alio san-
ctior &
quomodo?
fuisse in conspectu Domini Genes. 1. v. 31. ratione gubernationis
divinæ, totam terram esse scabellum pedum ejus Esa 66. v. 1. & to-
tam esse Domini cum plenitudine ejus Psal. 24. v. 1. 1. Cor. 10. v. 26.
At propter peccatum tota eadem maledicta existit Gen. 3. v. 17. ut
perse in ea nullus detur amplius locus alio sanctior. Per accidens
verò nonnullæ ejus partes vocantur sanctæ, propter Dei verbum,
quod in illis purè prædicatur. Ita Hierosolyma dicitur sancta civitas
Matth. 4. v. 5. in qua Jehovahæ ignis & focus erat Esa. 31. v. 9. Sed
quamprimum Dei verbum sonare cessat, sanctitas quoq; loci sta-
tim tollitur. Exemplum habemus in oppido Luz, cui propter di-
vinam revelationem Jacob imposuit nomen Bethel, i. e. Domus
Dei Genes. 28. v. 19. & 35. v. 6. Postea verò cum Jerobeam in eodem
loco ex concepta opinione de loci sanctitate institueret cultum
aurei vituli, ex Bethel factum est Bethaven, i. e. domus iniquita-
tis, Hos. 4. v. 15. Idem templo Hierosolymitano accidit. Pessima
igitur & perniciosa Papicolarum fraus est, quando miseris confi-
tentibus loco satisfactionis imponunt peregrinationes versus
Hierosolymam, quæ Turcæ latibulum, vel Romæ, quæ AntiChristi
domicilium, vel Compostellam, Mariam Loretanam & ad alias
Sanctorum imagines sensu & mente carentes, Sublatâ namque
causâ, nempe pura verbi prædicatione, quæ in Papatu flammâ &
ferro extirpatur, effectus quoq; prorsus evanescit. Tertio, pergit III. Ratio
Stapletonus, ad excitationem fidei nostræ erga Deum, & ad ostensionem
communione ejusdem fidei cum Sanctis, frequens sit à populo Christiano ad

Sanctorum loca peregrinatio. Quomodo molestissimis illis peregrinationibus fides erga Deum excitetur, non video, quin potius contrarium sit verum. Inde enim ansa & occasio datur hominibus dubitandi de Dei omnipotentia & misericordia, quasi ipse non possit & velit in omni loco, ubi invocatur, juvare, sed opus sit ipsū peregrē nonnunquam in angulis ignavorum Monachorum, monialiumque septis & claustris quærere, unde tandem nihil aliud nisi desperatio ipsa exurgit. Neque necesse est, ut quando eandem cum Sanctis fidem profiteri volumus, statim ad eorum ossa vel reliquias (quæ sæpissimè non ipsorum, sed vel latronis vel alterius cujusdam nebulonis sunt) confugere, potest id privatim domi, vel in publico ejusdem loci cœtu expediri. Tandem concludit: *Has ob causas veteres Christiani ante annos 1200. ad Sanctorum loca peregrinari, Sanctorum monumenta piè ac religiosè visitare soliti sunt: ut hoc genus pietatis, nec recens aliqua superstitio, nec inanis devotio, sed & antiquissimus & gravissimus DEI CULTVS merito censeretur debeat.* Quales illæ rationes fuerint, cognovimus. Quod de tempore objicit Jesuita, quo peregrinationes istæ invecæ sunt, non reddit causam ipsius meliorem. Erroris enim antiquitas nihil præjudicat veritati. Et constat quomodo istæ superstitiones in Ecclesiam irrepsissent, nempe quod initio istas falsas opiniones rudis plebeculæ ad evitandum scandalum Episcopi liberè damnare non sint ausi, sicut de seipso Augustinus testatur, & quod ex privata alicujus devotione semel susceptum sanctitatis quadam specie oculos perstringebat, id ab Episcopis postmodum approbatum fuit, quemadmodum iterum fatetur Augustinus, suo consensu sacellum extructum, propter particulam terræ Sanctæ, quam aliquis allatam Hierosolymis suspenderit in ædibus suis, ne à malignis Spiritibus amplius infestarentur. Atque sic ex parvis initiis, lucrosa hæc superstitio in Papatu crevit in immensum, adeò, ut etiam ex eadem gravissimum Dei cultum facere non vereantur Jesuitæ, omnem Ethnicorum idolomaniam in eo longè superantes, ex qua tamen his temporibus, restitutâ Evangelii luce, Deus nos clementer eripuit. Iccirco

*Superstitio-
num papa-
lium origo.*

*Vos qui cum IESV itis
Non ite cum Iesuitis,*

Quæst. II.

Quæst. II. *An Iohannis vite austeritas Monachorum ordinem stabiliat?*

Verissime olim prædixit Apostolus Paulus, fore ut extremis temporibus quidam desciscant à fide, prohibentes contrahere matrimonium & jubentes abstinere à cibo &c. quæ dogmata doctrinæ *Demoniorum* vocat *1. Tim. 4. v. 1. & seq.* Nam illud in Pontificiis impletum esse, & adhuc impleri videmus, qui certos ordines Monachorum & Monialium instituunt, quibus usum conjugii & certorum ciborum interdiciunt. Atque in his, necessitati alligantes conscientias maximam sanctimoniam ac verum Dei cultum ponunt, quasi hoc pacto non solum sibi, sed & aliis peccatorum remissionem demereri possent, Christi gratiam & remissionem peccatorum ad loca deserta & penetralia restringentes, ut ita & alterum in illis impletum sit Christi effatum, *Matth. 24. 23: Surgent Pseudo-Christi & falsi Doctores: & dicent: Ecce hic Christus, ecce ibi, ecce in deserto est, ecce in penetralibus.* Atque ut hæc ipsorum impostura sub vera religionis specie simplicioribus magis arrideat, adducunt Iohannem in deserto victu & amictu austerè viventem, quasi ipse suo exemplo voluerit alios ad similem vivendi rationem trahere, ac superstitiosorum hominum factum eo ipso comprobare. Hinc inter alios *Costerus in expl. hod. Evang. pag. 33.* Johannem Baptistam non solum *primum Monachum N. Testamenti* fuisse asserit, sed & monasticam vitam, *statum perfectionis* appellat, ac Monachis tres peculiare, quasdam prærogativas assignat, quas deinceps videbimus, Verum injuria summa fit Iohanni Baptistæ, ipse nihil minus cogitavit, quam de vita Baptistica & Monastica instituenda, longè alias & planè diversissimas habuit sui facti rationes, propter quas in locis desertis victu & amictu austeriore ministerium suum perageret, nimirum ut 1. *Esaia* de se vaticinium: *Vox clamantis in deserto &c.* actu impleret. 2. austeritate & novitate vitæ suæ Judæos in admirationem traheret. 3. eosdem ad verbi auditum & salutaris Baptismi susceptionem facilius alliceret. 4. pondus severitatis ac veritatis prædicationi suæ adderet, nempe ut sicut durus erat sermo de agenda poenitentia, durus etiam & asper esset victus & vestitus. Qui enim mollibus vestiuntur, scilicet adulatores, in Palatio sunt, qui verò pilis Camelorum, ut Iohannes, in deserto vel carcere: *Vocationem igitur habuit eam ad rem legitimam, Prophetarum etiam.*

*Johannes
cur in de-
serto durit-
er vixerit.*

Privilegia
Monacho.
rum secun-
dum Coste-
rum tria.

Examina-
tur,
I.
Privilegium

II.
Privilegium

etiam oraculis, denique voce Dei confirmatam: cum vicissim Monachi omni
Dei mandato, verbo & vocatione careant. Siquidem nullibi eis preceptum
est, ut hominum relicta conversatione in Eremum secedant, eo presertim
animo, ut monastica vita sua Dei gratiam & delictorum veniam consequan-
tur, ait Magnus Theologus D. Hunnius in c. 3 Matth. Privilegia Mo-
nachis attribuit Costerus tria: I. quod habeant perfectam condonationem
omnium suarum peccatorum, non minus ac in Baptisma alii. II. quod Chri-
stus singularem eorum curam habeat, ac de omnibus necessariis prospiciat, fa-
ciat illos perfectos in virtutibus, atque omnia illorum opera efficiat meritoria.
III. Quod Christus collocaturus illos sit in throno suo supra alios Sanctos,
dando illis potestatem judicandi vivos & mortuos, pag. 34. Lerna autem
hæc est & sentina absurdissimarum maximèque impiarum, non ex
Scripturis, sed ex stolido cerebri dictamine petitarum hypothe-
seon, quas seorsim, sed paucis & breviter excutere libet. Prima est,
habere Monachos perfectam condonationem omnium suorum peccatorum.
Hæc hypothesis ne unico quidem Scripturæ testimonio confir-
mari potest. 2. Cum Scripturis sacris diametraliter pugnat, quæ omnem
peccatorum remissionem soli Christi merito ascribunt Matth. 26,
v. 28. Iohan. 6. v. 51. Actor. 4. v. 12. Ephes. 1. v. 7. I. Iohan. 1. v. 7. 3. Et quo-
modo falsi isti fratres, qui Dominum nostrum Jesum Christum
negant, haberent perfectam omnium peccatorum condonatio-
nem? Dum enim prædicant jejunare, peregrinari, castitatem, pau-
pertatem vovere &c. viam esse ad beatitudinem æternam, sedur-
cunt planè simplices ad persuasionem propriorum meritorum,
& Christum tacent quod perinde est ac si dicerent: Christus tibi
nihil prodest, neque ejus te opera juvare possunt, verum necessa-
rium est te propriis operibus cælum mereri, atque ita Dominum,
qui nos suo sanguine mercatus est, negant, Epistola Iudæ v. 8. Alte-
ra hypothesis itidem falsa est, impia & blasphema. Quod enim
in tanta affluentia & omnium rerum copia sedeant Monachi,
id non arguit Christi singularem de iis curam, sed potius eorum
fraudem & imposturam, qua miseram plebeculam expilant & de-
glubunt. Nam ad divinam benedictionem, & preces & labor
assiduus requiruntur, juxta illud vetus: Ora & labora, & Deus
aderit sine mora, cū è contra Monachi ventris causa ab officiis vitæ
præsentis erga suos sese subducant, & saginandos in cœnobia re-
cludant, unde nec secundum Apostolum manducare deberent.

2, Thess. 3

2. *Theff. 3. v. 10.* 2. Quam perfecti homines esse possint in virtutibus, supra quaest. 2. ad part. 2. demonstravimus. Dicuntur quidem renati passim in Scriptura perfecti, sed non perfectione cognitionis aut sanctitatis vitae, sed affectatione perfectæ doctrinæ Evangelii, quatenus videlicet toti à Deo pendent, verà fide Christo unicè, adhærent, in ejus λόγος omnem spem ponunt, & ad perfectionem totis viribus contendunt, à quo scopo alienissimi sunt Monachi. Et quam fideliter ipsi etiam præstent, quod titulo tenus usurpant, nunc ideò dicere omittimus, quod nemini id ignotum sit. 3. Si opera Monachorum sunt meritoria, Christi meritum non erit sufficiens & perfectum. Quantum n. nostris opellis & satisfactionibus, tribuitur, tantum Christo detrahitur, qui tamē *solus torcular calcasse dicitur Es. 63. v. 3.* Et si opera eorū sunt meritoria, poterunt etiam ipsi in propria causa esse Mediatores, & sic frustra Christus pro iis esset mortuus. Unde Orthodoxa Ecclesia in persona Christi rectè & pie canit: *Nettestu dir was können erwerben/was dürfft ich denn für dich sterben? kein Arge ist dem Starcken noht / sein Kunst wird an ihm gar ein Spott.* Tertia Costeri hypothesis est ejusdem farinae cum prioribus, cumque Costerus ne literam quidem, vel ex Sacris vel ex recta ratione depromptam adducere queat, quam stabiliet, neque etiam speciale pactum sibi cum Deo ipso esse, à quo hanc revelationem acceperit, effari audeat, meritò anilium fabularum loca cuncta ista habemus, attendentes potius ad vivam Monachorum effigiem à D. Paulo depictam *2. Tim. 3. v. 6. & 8.* ex qua sanè longè alius eorum in futuro seculo status colligitur.

III.
Privilegia

Quaest. III. *An Filius Dei in Scriptura vocetur Angelus?*

Negat hoc audacter *Georgius Enjedinus Photinianus* in *explicatione*, sive, ut verius loquar, in *depravatione locorū Scripturae ad c. 19. Gen. v. 24.* divinitatē Christi, quam ex illo loco demonstrant nostrates Theologi, impugnans, quando ita infit: *Ex ipsa Mosis narratione liquet, media illa, quorū ministerio usus est in hoc supplicio Deus, fuisse Angelos: At Angelos non posse Filium Dei denotare, supra ex Apostolo ostensum est. Probationē verò istā pponit his verbis: Apostolus Hebr. 1. cap. ait: Cui dixit Angelorum, Filius meus es tu &c. In quibus verbis negat Apostolus ullum Angelum fuisse Messiam & Christum Dei.* sic ergò hinc argumentari licet:

F

licet:

Angelus facie
eius est
Christus.

Angeli
vox est am-
bigua.

licet: Ille est Christus, cui Deus Pater dixit: Filius meus es tu. Et ego ero illi in Patrem. Sed nulli unquam Angelorum, teste Apostolo dixit hæc Pater. E. nullus unquam Angelorum, teste Apostolo, est aut fuit Christus. Huc usque Enjedinus. Sed ubi quæso huic autoripudor? ubi fides, ubi conscientia? Christum enim non tantum Malach. 3. cap. In quo Salvator etiam suum *ἄγγελος* Iohannem hoc nomine indigitat, verum etiam multis aliis in locis Angelum vocari supra *thes. 4. 1. ἰσθαλαμφορῶν* ostendimus. Et quis alius esse poterit Angelus ille faciei Jehovæ salvans eos propter suam dilectionem & clementiam, redimens eos, & ferens eos cunctis diebus seculi, prout describitur Esa. 63. vers. 9. quam verus Filius Dei. Is namque est splendor gloriæ & character substantiæ Dei portans omnia verbo virtutis suæ Hebr. 1. v. 3. Is solus salvum fecit populum suum Matth. 1. v. 21. Is solus ob ineffabilem suam erga nos amorem nos redemit Rom. 5. v. 8. Probatio Enjedini mera Sophisticatio est, committit enim turpiter fallaciam *ἰσονομίαν*, & ex 4. terminis vitiosè argumentum contexit. Angelus siquidem, ut etiam supra inuimus, aliquando est Essentiæ nomen & definitur substantia creata, intelligens, incorporea, completa. Et hoc modo opponitur & homini & Deo seu Filio D E I. Aliquando verò est nomen officii, & legatum sive nuncium significat, qui legati D E I munere in hisce terris vel functus est, vel adhuc fungitur. C H R I S T U S ergò quando in Scriptura dicitur Angelus, tum illud non in priori, sed posteriori significatione accipiendum est, quia ipse ab æterno existens, in plenitudine temporis in mundum à Deo missus est, ut mysterium ab omnibus seculis absconditum hominibus patefaceret, & sustinendo passionem ac mortem pro totius mundi delictis satisfaceret, nosque cum Deo Patre suo reconciliaret. Adversarius verò in minore propositione sui argumenti, vocem Angeli in priori significatione sumit, & quatenus Spiritum creatum notat, unde conclusionem quoque Sophisticam & fallam oriri oportet.

Catalogus aliorum errorum è Postill. quarundam Adversariorum collectus.

I. Ignis totum mundum exusturus, antequam Christus advenerit, purgabit bonos, si aliquid purgabile in eis invenerit, quod

- quod si aliqui diutius deberent purgari, acerbius illos affliget, ut ex acerbitate penè suppleatur longævitas temporis. *Pelbartus de Themefvvar super hoc Evang. serm. 1.*
- II. Omnis boni vel mali origo vel initium est in voluntate animæ. Et sic omnia opera oriuntur ex anima cogitando & deliberando. *Idem serm. 3.*
- III. Omnis homo in corpore constitutus liberum arbitrium habet sive ad salutem consequendam, sive ad damnationem. *Id. serm. 4.*
- IV. Ante Christi ascensionem animæ hominum Sanctorum descendebant in limbum Patrum. *Id. ibid.*
- VI. Animæ Sanctorum hominum si peccaverunt, plenè satisfecerunt per condignam pœnitentiam & bona opera. *Id. ib.*
- VI. Christus wird einen jeglichen richten in seinem Sterben / zu dem Himmel / Hell oder Fegfeuer. *Eccius in Postill. conc. 2. sup. h. Evang.*
- VII. Christus hat Johannem vorgeschickt im Sterben und zu der Vorhelle. *Eccius ibid.*
- IX. Per afflictiones & hujusmodi cruciatus pro peccatis nostris satisfacimus. *Costerus conc. 2. p. 20.*
- IX. Plerique Martyres dum ad mortem ducerentur, solebant Deum orare pro aliquo bono, quod isti quidem obtinerent, qui eis honorem exhiberent, eosq; ex animo invocarent. *Costerus ibid.*
- X. Pœna purgatorii excedit omnem pœnam, neq; ex illa quis tam citò liberatur. *Cost. ibid.*
- XI. Christus, qui non habet Papam vicarium suum in terris locum gerentem, nec prospexit Ecclesiæ, quàm perniciosè errare tanto tempore permisit, adorando Eucharistiam & imagines Sanctorum colendo &c. & qui supra mille annos AntiChristum regnare in Ecclesia sua pertulit, nec Sanctos secum regnare patitur; profectò alienus Christus est, adulterinus & suppositivus, PseudoChristus, aut lupus rapax potius est. *Alphonf. Salmeron Tom. 4. Evang. Histor. part. 2. p. 202.*
- XII. Oralis manducatio, ubiquitas corporis Christi simbolo ad-versatur, unde erroneum. *Abrah: Scultetus in Idea Conc. 2. in Domin. III. Advent.*

Ad

Ad præstantissimum Do-
minum Respondentem.

Cum te lenta febris Furiarum quarta fatiget
DERSCHOVI ô sacri fulgida stella chori,
Non tamen absistis, sed contra audentior instans
In studiis pergis non remorante gradu.
Produco testes doctrinâ atque arte refertas,
Scripsisti dextrâ quas tremulante, theses.
Det Deus ut tandem febris quartana fugetur,
Et redeat membris, qui fuit antè, vigor.
Tunc majora dabis nobis, rectâque Sionis
Conscendes montem, Numine dante, viâ.

JOH. GERHARD. D.

94 A 7385

ULB Halle
002 728 095

3




VD17



1. An die ...
2. ...
3. An die ...





A T I O

omin. III.

IS.

I D E

ERHARDO

ROFESSORE

GO

*autore omni honoris
ere colendo*

proponit

D E R S C H O W

rufus.

ris à sexta matutinis.

C. XVI.

Æ

FEINMANNI.

3

